

**UMSF**

*D E*

# CURANDIS HOMINUM MORBIS

*E P I T O M E*

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

*A U C T O R E*

JOANNE PETRO FRANK


SAC. CAES. ET R. AP. MAJEST. A CONS.  
 MAGISTRATUS POLITICI ET OECONOM.  
 MEDOLAN., FACULTATIS MEDICAE AC  
 NOSOCOMIORUM PER INSUBRIAM AUSTR.  
 PRAESIDE, XENODOCHII PAPIENS. AD S.  
 MATH. MODERATORE, THERAPIAE SPEC.  
 ET CLINICES IN TICINENSI ACADEMIA  
 PROFESSORE P. ET O. ACADEMIAR. REG.  
 SCIENTIAR. GOETTING. MANTUANAE, ET  
 ELECT. MOGUNT. TUM SOCIET. PATRIOT.  
 MEDOL. ET MEDIC. HELVET. SODALI.

*L I B E R . I V .*

*DE IMPETIGINIBUS.*

*9342*

*02 JUL 2004*



MANNHEMII MDCCXCIII.

*Apud C. F. Schwan et C. G. Goetz Bibliop. Aul.*

---

*D E*

CURANDIS IMPETIGINIBUS

*LIBER IV.*

---



## CLASSIS QUARTA.

### IMPETIGINES.



#### *GENERALIA DE IMPETIGINIBUS.*



§. 369. MAGNAM efflorescentiae, quas exan-. Notio gener.  
thematum sub nomine hucusque ( Lib. III. )  
delineavimus , cum coeteris affectionibus,  
quae humanae cutis levitatem , nitorem , in-  
tegritatem deturpant , similitudinem ostendunt,  
et hanc ob rationem mox ab illis , istarum  
non incongruens nobis videtur consideratio .  
Sed cum exanthemata febrium plerumque  
castra sequantur , atque harum devicto furore  
plerumque dissipentur et ipsa ; vel saltem ,  
dum sine febris auxilio ad cutem illa proru-  
perunt , breviori hic mora divagentur , nec  
primariam facile in pelle aegritudinem con-

stituant; hinc ad aliam certe morborum classem hos *diurnos* cutis humanae affectus referri oportet: et cum nomen desit, quod illam satis exprimat, et ab exanthematum familia distinguat; *impetiginum* illud hunc ad finem potissimum, atque cuivis tum generi, tum speciei adaptatum esse censemus. Ad *cachexias* haec classis morborum a Nosologis, ut nos quidem opinamur, sine fundamento demandatur: nec etenim morbi cutanei tam evidenter ex *malo corporis*, ut ajunt, *habitu* originem ubique sumunt; ut non *localem* saepe, atque cum nullo humorum vitio sociatam offerre aegritudinem cernantur; ac manifesta in multis *cachexia*, color cutis foedus atque a naturali quamplurimum recedens, immunem ac intactam prorsus in multis pellim esse sinit.

## Definatio.

§. 370. Hinc per *impetigines* propriam nos morborum classem intelligimus, quae cum cachectico, ut vocant, *habitu* frequenter quidem, — sed et sine hoc non raro incedit, ac in diutinis plerumque cutis aut maculis, aut aspredine, papulis, vesiculis, squamis, fissuris, crustis, aut demum in spontanea integumentorum exulceratione, vei

et variis excrescentiis consistit, ac febrim, nisi secundariam, pro comite sat raro agnoscit.

Ipsa certe exanthemata, cum *chronicam* induere naturam observantur (§. 275.), ad *impetigines* revocari nil impedit; atque non raro illa, dum flore vix non perenni, sine febre, in cute persistunt; in istius magis contextu, quam fluidorum in vitio, originem agnoscent. Plures quidem morbi cutanei, exanthematum in modum, febrium hinc inde *erisin* efformare, atque evidentem cum istis affinitatem ostendere videntur; sed, praeter illud, quod *impetigines* ad interiora repulsae, febribus non paucis occasionem largiantur, atque, dum naturae, vel artis auxilio ad superficiem revehuntur, non criticum exanthema, sed aegritudinis cutaneae, seu causae febrilis, ad antiquam, ex qua depulsa fuerat, sedem repristinatae nobis specimen exhibeant; diuturna hujus efflorescentiae in cute perseveratio latusque sine febre progressus, *impetiginum* ab exanthemate quovis differentiam abunde manifestant.

§. 371. Cum vero sat claram *exanthema* Doctrinae ob-  
tinum imaginem quotidiana eorum in febri- scuritas.

bus observatio, ac major circa has ipsas medicorum industria nobis offerant; fateamur oportet, *impetiginum* illam tam densa oculis hucusque caligine nascondi: ut major eorum, qui de his diffusius egerunt, verborum profusio, difficultates rerum auxisse magis, quam solvisse videatur. Ardui scilicet laboris opus est, morborum tam inconstantium, tam longorum, tamque diversis sub formis in cute luxuriantium fidelis descriptio; atque huic rectius tradendae, *pictorum* potius penicilli, quam, cui colores desunt, scriptorum calamus, pares esse videntur. Quae non immaturi adhuc in cute morbi, ab eo, qui pleno jam flore hanc oceupat, aut in eadem jamjam marcescit et exscicatur, diversitas observatur! . . . Quam varius non unius ejusdemque morbosi seminis hoc in agro progerminantis aspectus est! . . . Aut quam sibi similes non causarum, indole sua diversissimarum in corporis superficiem furientium effectus in hac ipsa occurunt! . . . Atqui in hoc ipso, tam inconstanti, aegrotantis naturae sermone, latet morborum, qui cuti adscribantur, et causarum, quae illos inducant, inexhausta apud Scriptores multiplicatio, rerumque unius ejusdemque penitus originis atque indolis,

pro diversissimis inter se affectionibus prolixa Nosologorum enumeratio , ac indigesta prorsus nominum confusio .

§. 372. Interim , cum simpliciori *impetigine* expositioni nos ipsi studemus ; non minor nobis causarum , ex quibus illae pendent , obscuritas ac incertitudo obest , atque ea nos potissimum difficultas premit : quod cutaneorum pars magna morborum , aliarum potius affectionum *symptoma* , quam idiopathicam hujus organi aegritudinem constituent . Illae tamen *impetigines secundariae* , exanthematum symptomaticorum vix non observantes naturam , cum primariis cutis affectibus confundi non debent ; atque sic integumentorum maculae , echymoses , vesiculae , ac ulceræ , quae ex ictero , scorbuto , viscerum infarctu , ex luis venereae viru , ex scrophuloso , aut rheumatico acri , aut alio ex morbo , secundarie gignuntur , licet cutem insigniter defoedent ; ad istum tamen magis , quam ad *impetiginem primariam* revocanda erunt , ac methodo non alia , quam quae morbo , ex quo pendent , conducat , superantur . Hinc minor longe , ac a Nosologis recenseatur , cutaneorum morborum est numerus , atque

I. Diversitas.

pars major istorum, calido sub coelo dele-  
ctatur, ac *endemicam* saepius naturam in istis  
observat. *Contagiosam* non paucae impetigi-  
nes, quo solo potissimum dominantur, in-  
dolem ostendunt; sed in aliud transvectae,  
mutata rerum, quae novo incolae favebant,  
positione, contagium deponunt, atque vel a  
causis plerumque obscuris eodem sub coelo,  
sine illo, foventur ac persistunt; aut tempo-  
ris successu extinguntur in totum. Aliae  
tamen impetigines, licet multis eodem in  
loco communes, ex causis tamen similibus  
oriundae, contagio observantur expertes:  
atque aliae *universam*, quo late patet, cutem  
adoriuntur; aliae non nisi partem istius, *locas-*  
*les*, invadunt, atque vel *fixa* ad peliem po-  
tiuntur sede; vel ex una in alteram incertae  
*divagantur*. *Internas* quoque dari impetigines,  
ex chronicarum inflammationum, quae visce-  
rum superficiem vix penetrant, — ex ma-  
cularum, phlyctaenarum, papularum, ulcerum  
superficialium, — ex epidermidis, materiae  
puriformis, ichorosae, per trachaeam, nares,  
intestina, per urethram, copiose excretorum,  
— ex aphtharum, acuti licet morbi, histo-  
ria, et ex rctropressae, ac redeuntis impeti-  
ginis externae effectibus, conjicimus. Non

rarum est, impetigines sub certis anni temporibus redire; ac in genere tum vere, tam aestate potissimum recurrentibus, cutaneorum abundantior est seges morborum. Alii existis, qui tamen vix non ubique ad symptomaticos spectant, *periodice* prorumpunt, ac menstruorum, haemorrhoidumque naturalem aut consuetum typum, *habituales*, fere sequuntur. Quod ad divisionem ex causis pertinendam spectat, paucae quidem impetigines *primariae* praeviun sibi humorum vitium, licet adultae hoc ipsum valeant inducere, necessario exposcunt; ac illarum hinc cura *internis* solicite nimis tentata remediis, plerisque successu frustratur. De *secundaria* alud dicendum est impetigine: atque licet haec ipsa in *primariam*, longiorem post motam, abire et possit, et soleat; nihilominus princeps in hac *complicata* impetigine perfectanda consideratio medentibus incumbit; atque illa, quae efflorescentiam repellunt; au exsiccant, sine damno administrari vix quidunt. *Haereditariae* impetiginis exempla nobis non pauca occurrerunt: atque plurimae ex itis, solidorum, seu cutis ex vitio deriventur oportet.

Ipsa vero, quam impetigines in cute sibi eligunt, sedes, non ineptum his in rebus exponendis ordinem nobis suggerit. Aliae nempe ex istis, superficiem quasi lambentes, vix ultra *reticuli mucosi* confines descendunt; aliae, profundius demersae, pellem ipsam exedunt, consumunt. Quodsi utrumque a quavis, aut neglecta aut mala methodo exasperata impetigine perpetretur subinde; est tamen manifestus cuivis ex istis a natura concessus character: quo limites sibi ipsis plerumque ponant, atque nunc modo cutem *maculare*, nunc pellem *depasci*, cibrare, ac in ipsa corii humani substantia pertinaciter nidulari observantur.

Alibi scilicet cutis modo aspectus et nitor a naturali abludunt, ac sine magno tumore, vel aspredine, in eadem *maculae* coloris albi, rubiginosi, lutei, flavi, castanei, cuprei, rubri, brunei, lividi, nigri, aut variegati comparent; alibi epidermis induratur et callet; aut informis luxuriat; vel asperatur, siccescit, finditur, ac in fursures in squamas, aut majora in frusta secedit, ac affines huic pili, vel unguis canescunt, funduntur, complicantur, crassescunt, emoriuntur et cadunt. Nunc pellem inter et cuticu-

Jam, in ipso retis mucosi contextu expansus humor hydaticulas, vesiculas, vel acri tenuique, vel puriformi materia praegnantes, inducit; aut vasculorum glomeres atque glandulae sebaceae incenduntur, ac in papulas, pustulas, tubercula, abscessulos mutantur. Nunc demum cutis ipsa, cum subjecta huic adiposa inflammatur, intumescit, tenditur, distrahitur ac dolet: secretionis hoc in organo pervertitur, depravatur opus, atque rancidum et infestum huic ipsi virus praeparat: quo haec tot fibris, nervis, vasisque tam mirifice contexta tela cribri in modum exeditur, perforatur, ac in foetidissimum, malignissimumque ichorem colliquescit.

Interim non singulos hos cutis affectus, peculiari quemvis tractatu, hic nobis considerandos assumimus; sed qui ex illis. ut *calli*, *verrucae*, *clavi*, *condylomata*, *excrescentiae coeterae*, *ungues vitiosi*, *ulcera antiqua*, ad *Chirurgiam magis* pertinent: hos ista Vobis jam satis exposuit eximia scientia. De *Trichomate*, singulari, ac *Poloniae* in primis endemico pilorum morbo, nobis necdum ipsis conspecto, quae alii dixerunt, hic modo repetere, consultum non ducimus; atque sic omnis *impetiginum*

materia duos modo in ordine divisa, hoc volumine circumscribetur.

causae.

§. 373. Quae de origine, rationibus, ac differentia *exanthematum* a nobis dicta fuerunt ( §§. 274. 275. 276. ), ea, si diuturniorem, seu chronicam causarum in peripheriam corporis actionem, vel primariam, vel secundariam, superaddamus, *impetiginum* generationem ac modum in multis illustrant. Multa interim, quae vitiorum cutaneorum naturam respiciunt, hic attentius considerabimus; plurima nos latent, ac futuri soleritatem saeculi, — utinam non inanem! exspectant. Illorum forte, quae in coeteris animalibus, ac in ipsis plantarum cortice ac soliis contingunt, attentior consideratio, non parum quondam hic lucis accendet. Ex animalibus, minora non pauca, vel ipsam quotannis pellem aut testam, sub manifesto aegritudinis, dato tempore redeuntis, apparatu, abjiciunt, novaque tunica ab ipsa cooperuntur, non satis intellecta hoc in opere, natura. Quas plumis haec ornavit, aviculae, quo tempore illas ammittunt, obmutescere illico, solitudinem querere, appetitu privari, languere, ac manifeste aegrotare observantur.

Sub minoribus turbis, sed non sine praevia et fere simili in pelle mutatione, hybernos belluae ac domestica animalia deponunt crines; atque ipso demum in homine communis est, redeunte vere, epidermidis hinc inde a cute, ac pilorum e capite multorum separatio. Quodsi vero haec annua naturae in pellem operatio diversos in ista morbos explicare non queat; in hoc tamen, quod varia, quae aliis animalium partibus communia haud sunt, in cute contingere demonstrent, a medicis praetervideri non meretur. Pars major morborum arboribus infensorum, primam in cortice, foliorumque externa superficie, ceu vegetabilium cute, originem agnoscit, atque cum illis, quae animalia, — et cur hac in parte patiantur, collata, cutaneorum affectuum, istisque medendi scientiam ditabit.

Quae vero utriusque viventium classi prae-  
cipue insidiantur, sunt: tum impedita illo-  
rum, quae per cutis superficiem, vel sana,  
vel morbosa, expelli debuissent, exhalatio,  
sub epidermide effusio, stagnatio, deprava-  
tio, ac multiplex a stimulante hac materia  
irritatio; tum amplissima *parasitarum* familia,  
quae, jure quodam dolendo, sed vicissim

Transpir im-  
pedita.

cheu! Viventibus a natura imposito, succi vitalis cum labore ab aliis parati avidissima, beneficæ sese pelli insinuat, ac, ibidem recepta, hanc ipsam depauperat, corrodit atque devorat.

*Immundities.* Immundities hinc, frigus sudanti corpori incaute admissum, et quaecumque sensibilissima cutis spiracula constantius obturant, — tum vel communia, vel propria cuivis animalium speciei insecta, non parvam cutaneorum in illis morborum partem sibi vindicant. Alias quidem transpiratio insensibilis, quam quae cum statera aurificis examinari queant, leges agnoscere videtur; nec homo, socialis vitae puritati renuncians, nec populus a solita nobis munditie alienus, pluribus adeo gravioribusque cutis subjicitur affectiibus; ut non integræ Nationes contrariis conservandæ salutis momentis instructæ, corpus omne oleo profundere, cutisque poros hoc ipso opplere sine damno consuescant.

Ast vero, qui continuo corpus robustum labore aut cursu exercent, ac in aura liberiori ruralis vitae fruuntur beneficiis; hi multas morborum causas, quae aliorum saluti insidiantur, superare, et unius partis functione, alterius defectum supplere observantur:

nee

nec vel spurcissimus aut undas semper fugit populus, aut, quo natura vel pennigerum cogit descendere vulgus, flumina abhorret. Hinc summa in ordinandis balneis ac thermis tum rituum Sacrorum, tum Legislatorum ubique cura fuit posita; et si forte ob lanarum apud antiquos, quam recentiores apud populos, quibus linteaminum est copia, maiorem usum, major ablutionum urgebat necessitas; fateamur tamen oportet, morbos cutaneos non paucos ex neglecta corporis munditie, ex insana mulierum, suspectis faciem jugulumque pigmentis obducendi libidine, et ex abolito balneorum usu hodier nos apud homines esse derivandos; ac nulli impetigines, quam apud plehem mendiccam, ac impurioribus in habitaculis, frequenter inveniri.

Plura quidem, uti coeteris animalibus, *Insecta*. sic et homini molesta sunt, et cutem vel pungendo, vel proprio, quem isti aspergunt, instillant, succo, irritare, inflammare observantur insecta; sed propria humanae cuti et duplex pediculorum est species: quarum prima, infantibus communior, est *pediculus humanus*, qui caput inprimis, et cutem, — altera, quae pubem, axillas, supercilia inha-

bitat, ac *pediculus pubis*, seu *morpio* vocatur. Haec ambo insecta, fertilitate insigni instructa, ac impuros apud homines ad incredibilem subinde copiam adaucta, sub epidermide sese insinuando, cutemque subjectam irritando, pruritum continuum, porriginem ac foeda ulcuscula producunt. Qua sub laesae salutis conditione *pediculus humanus* sub universi corporis cuticula, sine impuritatis suspicio-  
ne, eam ad copiam generetur, ut ex istius poris undique ac acervatim prorumpens, *Pthyriasin* graecorum, seu *morbum pedicula-  
rem* Lat. exhibeat; hoc, Virorum fide digno-  
rum observationibus confirmatum morbi ge-  
nus, propria, quae nobis deest, experientia illustrare non possumus. Praeter *pediculos* ve-  
ro, ac communem aliis quoque animantibus, *pulicent*, *acarus exulcerans* seu *acari species*, homini, ut videtur, propria, saltem ex *acari farinarnm*, *acari domestici*, aut alterius, extra corpus humanum existentis, acari familia non derivanda, in recentibus illorum, qui *scabie* aut *psora* infecti sunt, pustulis, ante saecu-  
lum in *Italia* reperta, atque tum ab immor-  
tali *Sveco*, tum ab egregio et amico nobis Viro germano nuper confirmata fuit (§. 436.). Ex *musca Leprae*, *Elephantiasis Nigritarum*

ab eodem illo historiae naturalis hodiernae parente, discipuli experientia suffulto, derivata est; sed cum in graecorum Elephantiasi seu Arabum lepra, vermiculum, ut vocant, celebris alter Goettingae examinasset, eundem hic in *muscae domesticae* larva, ex ejusdem *muscae ovis*, communi ulcerum sorte, *huc depositis*, oriunda consistere observavit; ac plura certe ex insectis aut simplici escae animalis desiderio, aut ulcerum cutaneorum foetore sub aestivis caloribus potentius allectis, sub cuticula, vel in praesentia nec custodita satis ulcera, tum ovula, tum larvas deponunt: quae loci fotu exclusa, aut vivae, nudam jam cutem irritant et horrendo aspectu infestant.

Sed ex vermium quoque, cum insectis *vermes*, non confundendorum, classe, *Gordius*, tum *aquaticus*, vitulorum, equorum, porcorum etiam pulmonibus aliquando infestus, — tum in primis longissimus interdum *G. Dracunculus*, seu *Vena*, ut dicunt, *Medinensis*, palustrium uterque aquarum incola, tum demum *furia*, ut referunt, *infernalis*, humanam subinde cutem penetrant, ac prope ossa, ad tibias, genua, brachia, quo loco carnes fere desunt, vix unquam ad faciem, tumorem, pruritum

intolerabilem, dolores, inflammationem, nisi cautius vermis extrahatur, facile funestam inducunt. In ipsa iterum elephantiasi, quae Norvegos infestat, vermiculus, Gordios ac ascarides inter medius, quem *Gordium marinum* nunc vocant, et ex frequenti his gentibus piscium marinorum victu derivant, accusatus est. Interim praeterquod vermes animalis unius speciei, cui proprias jam illorum species natura commisit, alterius domicilium vix querant, aut in eodem diutius morari non soleant; ulteriorem haec observatio confirmationem meretur; nec ea, quae in parte aegrotante fortuito deteguntur, pro morbi causa haberi mox debent.

In genere dolendum est, historiae naturalis partem illam, quae *parasitica* et fere consanguinea homini animalcula concernit, utilissimam licet magisque necessariam, minus tamen, ac alias omnes, quae res nobis non tam vicinas respiciunt, hucusque a multis fuisse excutas. Mirum quidem non est, cum *putredinis* ex fonte minora haec entia Antiquorum derivaret credulitas; majorem illis, quae fortuita putabantur, attentionem non adhibuisse; et cum microscopia deessent: eorum oculos quamplurima, quae nunc

admiramur, fugisse; sed a quo tempore et  
futilis illa de *generatione aequivoqua* theoria  
eviluit, et oculus nova lente armatus novum  
quasi in vilioris guttula liquoris orbem de-  
texit; parum admodum hac in naturae pro-  
vincia perlustranda, humana profecit indu-  
stria; ac si *verminum visceralium* historiam  
excipiamus, utilitatem Medicina, scientiae  
naturalis progressibus non est experta aequa-  
lem.

Atqui haec eo quidem fine non move-  
mus, ut *pathologiam*, quam *animatam* dixe-  
runt, et qua morborum contagiosorum vix  
non omnium, ac ipsius demum pestis, cau-  
sam in subtilissima, visumque fugientia ani-  
malcula, — neonatorum vero atrophiam in  
*Comedones*, ridicule conjecerunt, ut verisimi-  
lem denuo revocare contendamus; sed hoc  
unum hic nobis concedi optamus: inter cau-  
sus, quae cutis morbos rebelles hinc inde  
producant atque exasperent, tum *insecta* quae-  
dam eorumque ovula, larvas, tum *vermes*  
omnino spectare; atque plures forte, quam  
nunc, industriae majoris his rebus impensaæ  
defectu, suspicemur, *impetiginum* species ex  
*causis viventibus* originem agnoscere. Plures  
nunc ad viscera, quam alias credebamus, ac

vix non visum fugientes, a nobis ali hospites, fatemur; ignotum forte mundum aliquando in pelle humana quis deteget; ac ignotas forsitan morborum causas propria, alieno semine populata, nobis offeret superficies.

**Acria.**

Aliae vero morborum causae humanae cuti insidiantur: atque huc *acre* quodcunque ex massa sanguinis hoc in colatorium transvectum, aut in hoc ipso, ignotis secretionis morbosae legibus paratum, pertinet (§. 274.). Summum apud *ictericos* in cute pruritum toties moderari, aut cessare observavimus, quoties sub illo in urinis prius pallidis, aut parum flavis, copiosa iterum bilis, ac lateritium sedimentum comparerent. Ex assumptis copiosius aut sale, aut aromate conditis cibis, qui impetigine laborant, pruritum in cute majorem, quam sub victu minus acri, patiuntur. Magnum renes inter et cutaneae transpirationis organum, quoad secernendi copiam liquidi, commercium existit; et quemadmodum sub aucto urinarum fluxu, sudores, — ita sub transpirationis incremento, lotii imminuuntur rivi. Sed cum ea, quae per istos e corpore eliminantur, aut eliminanda fuissent, non raro ipsa, per

quae fluunt, aut in quibus moram patiuntur, receptacula et canales irritare, inflammare, exulcerare obseruentur; sic et similes ejusdem causae, cum ad cutem convertitur, effectus esse, omnino oportet. Saepius hinc, cum urina vel cruda magis, vel justo parcior per renes excernitur, saturati magis sudores, — aut, si nec hi quidem urinas supplere queant; irritatae cutis phoenomena occurrunt; et quemadmodum apud infantes crusta lactea affectos, ea, quae urinarum secretionem adaugent, efflorescentiae non parum detrahere observantur; sic et in senibus, quibus parca est lotii secretio, non paucae ad cutem modestiae, pruritus continui, herpes, ac ulceraria se manifestant. Magna hinc a lixivio illo, quod per urinas excerni debuisse, ad cutem, renibus affinem, converso, ac ne per hanc quidem rectius excreto, incommoda fluunt; et major, quam solet, dum superficies impetigine defoedatur, urinarum habenda est ratio.

Maxime vero huc acre, quod vel in corpore generatur, vel parentum jure, vel contagio suscipitur, revocandum est: a quo scilicet, valde diverso, ut scrophuloso, ve-

nereo, rheumatico, varioloso, etc. impetigines *symptomaticae* complures oriuntur.

Ipsum quidem digestionis opus, quaeunque a sanis adhibentur alimenta, in blandum ac nutrientem chylum convertit; sunt iotetim, quae, istis commista, huic scopo resistant, ac indolem sibi propriam nec secundis in viis deponant. Huc iterum aromaticæ, et alia, quae cibis superadduntur, condimenta, vel his ipsis inherentia acrioris aut volatilis naturæ principia revocentur oportet: ut quae sanguini copiosius, longoque usu remista, nisi sub vita laboriosa continuo diffentur, arteriosum non modo systema stimulare, sed et corporis peripheriam in primis petere, irritare, secretiones hic pervertere, ac lympham, otiosi saltem hominis, subtili acredine inquinare valebunt. Hinc aut laesa diutius ciborum digestio, aut talium, quae mutari, ac animalem in substantiam converti non queunt, — aut quae vel suspecto, vel stimulante principio abundant, commestio, frequentem apud dites in primis aulicosque homines, quorum palatum alii, quam artificiali ac urenti quasi stimulo non amplius respondet, — vel ipsos apud pauperes, qui corruptis aut carnium

aut piscium, mytulorum edulium reliquiis, — qui pane ex farina, seminibus suspectis, aut modo alio inquinata, — qui caseo vetusto putrefacto ac acerrimo, — vel cepis, rapis, ac allio fere solo vescuntur, frequentem utique impetiginum vel maxime rebellium rationem in se continent.

Si quis alias, — hepatis certe liquor, <sup>Bilis.</sup> utpote gustum magis feriens, tingendisque partibus prae alio opportunus, inter praecipuas morborum cutaneorum causas, cum *atra* in primis *bile*, ab Antiquis repositus, et a Recentioribus non paucis hac in potentia nocendi confirmatus est. Quid corrupta in abdomen bilis in producendis exanthematis possit; hoc a nobis ipsis expositum habetur (§§. 274. 290.); sed simul hujus causae fallacias non reticuimus (§§. 107. 288.); ac licet cutem a felleo liquore in *ictero* flavedine obduci videamus; non tamen vel quaevis in pustulis vesiculisque cutaneis contenti humoris flavedo, *de bile*, *ut causa*, testatur, Flavissimas nos, in *Clinico instituto*, ad manuum volas pedumque plantas in scorbutica virgine observavimus maculas: quae instantem alias aegrotanti haemorrhagiam per narcs, pulmones, supplebant, vel hac inse-

cuta, disparebant: quin vel minimum ad hepar in cadavere defectum conspiceremus; ac in simplici ex cutis contusione echymosi, color partis ex atro in lividum, viridescensem, — tandemque in flavum, *bilis sine culpa*, mutatur. Saepius vix emissos matrum e sinu proles intense per primos a partu dies ubique rubore, et cocti quasi cancri colorem in cute referre conspeximus: qui, erythematem quasi, ut vocant, correptae, cutis color, post tres, quatuorve dies, in flavescentem ac fere ictericum abivit: quin probilis id effectu continuo cum aliis haberemus: quod in multis neonatorum ab inassueti contactu aeris in cute sensili ac laxa contingit, ac in ipsius interdum epidermidis desquamationem surfuream terminatur. Quae vel in sanissimo homine per cantharides excitatur vesica: ea croceo frequentius liquore, sine bilis suspicione, turget; ac in genere, quae *ex coloribus, odoribusque* petitur causarum in morbis cognitio: ea falsis plerumque inductionibus fundatur.

*At a bilis?*

Bilem, quae remoram in cystide sella longam experta est, resorpta parte illius seniori, viscidiores non modo ac tenaciorem reddi; sed et colorem profundiores ac.

atrum, singularemque amaritatem, acredinem acquirere, atque interdum non modo vesiculam, hepar ipsum irritare, inflammare, exedere; sed et totum systema nervosum in fatalem homini consensum provocare, — aut, in tubum intestinalem effusam hanc amurcam, calculorum felleorum matrem, liquefactae picis adinstar, hunc ipsum, stomachumque obducere, similisque materiae vomitum aut dejectionem per alvum, sub horrendis tormentibus et cardialgia, inferre: hoc nemo prudens negabit, atque tum frequens cadaverum sectio, tum instituta nuper ab egregio Galliae chymico hujus materiae analysis, abunde demonstrant. Quod si igitur atram hoc ipsum bilem vocare velimus; aptius certe, quo morbosae hujus materiae character circumscribatur, nomen non habemus. Sed ob id ipsum, non omne illud, quod, et colore, et tenacitate huic inspissato humoris simile, per oesophagum alvumque rejicitur, aut *atra bilis* est, aut ex eadem originem trahit. Nigras saepe faeces et sani deponunt homines; nigro saepius colore ciborum reliquiae ab assumptis medicamentis, vel a propria particularum mistura, tinguntur, aut diuturna in abdomen mera nigre.

dinem eadem contrahunt. Nec rarum est, sanguinem ad ventriculum, intestina ruentem coagulari, seroque exutum, inspissari, et, quod in vasculum, sani hominis e vena, susceptus, ad pelvis fundum jam facit, colorem atrum, carboni similem, assumere. Atqui has quoque materias, licet atras atque tenaces, *aatrae bilis*, ut faciunt, vocabulo insignire, nominum certe abusum sistit, qui majorem in Medicina, quam in alia quavis scientia, noxam inducit. Sed ipsum in vasis suis fluentem sanguinem, dissipatis fluidioribus, crassescere, atque pinguem, magisque terrestrem quasi *faecem* offerre, — tunc vero humorem *atrabilarium*, succum *melancholicum* largiri, — quodsi vero, auctus copia, magisque *adustus* hic humor in partibus haerescat; eundem tunc *atran* iterum nobis *bilem* offerre, docuit Antiquitas, ac Recentiorum denuo scholae hinc inde defendant. *Lienem* in primis, ac renes succenturiatos seu *capsulas atrabilarias*, ut *aatrae bilis culinam*, illa consideravit; similisque materiae officinam in venae portae systemate non pauci ponunt: ex qua, tum *flavus* ac *cachecticus* ille hominem *melancholicorum* aspectus, tum *variae cutis maculae*, — et ab aucta, atque per

sanguinem diffusa *atrae bilis* acredine , vascu-  
lorum cutaneorum erosiones , ulceræ maligna,  
cutisque gangraenam derivant .

Subtilius certe , quam in rebus medicis  
conducat , et ad fornacem excogitata magis  
haec de *atra bile* in sanguine generatae ac  
fermentantis theoria est . Nec etenim crux  
per vasa circulans , sicut jus in aheno spis-  
sescit , et sine novi ac recentis liquidi affluxu  
in rancidam condensatur gelatinam ; nec na-  
turae subsidia desunt , quibus aut recenti  
imperato potu , aut moderatis suppressisque  
tenuiorum excretionibus , aut demum resorpto  
ex atmosphaera liquido , nimiam spissitudi-  
nem avertat . Quocunque salutis sub statu  
vix emissus crux naturalem fluiditatem osten-  
dit , atque pro varia rerum accidentalium  
conditione , lentius , citiusque condensatur ;  
et quae forte contraria in siccis , melancho-  
licisque hominibus , aut sub febre inflamma-  
toria , instituta referuntur experimenta : ea  
cum sanissimo non minus , quam cum alio  
sanguine , nunc sic , nunc aliter , inconstanti  
successus , ac ab externis conditionibus pen-  
dente lege , contingunt ( § 125 ) . In va-  
ricibus ultra modum distentis crux colli-  
gi , ac forte aegrius moveri , non vero prius ,

nisi dempto vasorum lumine, coire, docent enormes ex illarum ruptura sequentes haemorrhagiae, fluidique sanguinis in vicina loca effusio. Cessante vero in venis fluxu, quod ex umbilicalium aliorumque vasorum historia patet, inclusus crux, tenuiori portione resorpta, sine ullo corruptionis signo condensatur, ac in duriorem massam brevi temporis intervallo solidescit.

Ex his igitur apparet, ex fonte bilioso cutem quidem hinc inde, aut per consensum affici, aut infenso humore inundari; sed saepius a medicis impetiginum culpam in hepar insons reponi; atque ubiorem certe causarum, quae in cutem invehant, numerum, et diversam admodum earundem natum existere.

*Nerv. actio.* Ac revera, ipsa jam *impetiginum* cum *exanthematis* affinitas (§. 369.), atque nervorum tam evidens in ista imperium (§§. 274. 276.), *nervosam* in multis illarum originem sine dubio manifestant. Vel *aucta* scilicet praeter modum in cute sensibilitas, — vel *istius*, a consueta impressionum perceptione *aberratio*, — vel *demum immutata* nervorum cutaneorum sentiendi potestas, variorum in cute phoenomenorum, in chro-

niciis non minus, quam in acutis affectibus, rationem, intellectu licet difficilem, sat tamen apertam, in se continent.

Major certe in aetate infantili, ac in <sup>sensibilitas</sup> <sub>nibia.</sub> sexu foemineo, quam alia quavis sub vitae periodo, et quam in sexu potiori, est cutis teneritudo ac sensibilitas. Atqui sub hac ipsa, major utique morbosarum ad corporis superficiem affectionum conspicitur numerus, et causarum minorum promptior est ac certior in cutem effectus. Sanissimae genitricis e sinu vix exclusa, sanissima licet, proles, cutis tamen, jam primis vitae mensibus, non paucis saepe laborat affectibus: capillata pars omnis calvariae mox squamis crustosis, pru- rientibus obtegitur; post aures epidermis se- paratur, ac foetida, copiosa sanies exesa e cute per menses destillat; aphthosis oris cavum ulceribus obsidetur in istis; facies in aliis, vesiculis sero flavo repletis, atque crusta, quam *lacteum* dixerat, defoedatur, multisque achores et favi, et tinea prorum- punt. Cutis, inter plicas, ad collum, axil- las, ad inguina et nates erosa, ichorem plorat; ac magna pustularum, papularum miliformium, rubrarum, in corpusculi super- facie copia florescit. Crassos quidem hucusque

viscidosque in pueris humores, ac acidam, aut aliam in istis acrimoniam, tantorum ut fontem malorum, accusant; sed in multis certe alia istorum, quam in *cutis sensibilitate morbosa*, non subest ratio: ac perperam ad dulcificantia, evacuantia hic non raro recurrimus remedia. Nec etenim, si tanta jam fluidorum labes homuncionem teneret, vel sola natura huic superandae tam saepe sufficeret; vel sola matrum solertia, ac frequens cutis tenerae cum frigida ablutio, aut balneum, in avertendis his cutis affectibus jam tanta praestarent; nec hi ipsi *dentitionis* sub opere, prout faciunt, continuo augerentur, aut liberae hucusque proli, sub hoc majoris irritationis statu, copiose succrescerent; aut delicatulos magis, quam alios, aequali coeterum sanitatem iustros, aggrederentur infantes.

Vel ipsi adulti, in primis puellae, quibus teneram ac albissimam pellem, oculos coeruleos, flavamque, aut ex flavo ruffam indulxit natura comam, vel a simplici radiorum solis verni actione jam maculis notantur, et quasi uruntur ad cutem; vel solius aurae rudioris afflatu jam epidermide spoliantur. Apud mulieres teneriores, ipsa jam conceptio defoc-

defoedat faciem, ac maculas, quas modo partus abluit, ad cutem inducit. Puerperii potissimum tempore, debilior tunc sensilior. que foemina in miliare exanthema est pronior (§. 324.), atque ab isto, in chronicam efflorescentiam converso, nonnunquam per annos obsidetur. Qui cute sensiliori cinguntur: illi vel a minimo aurae frigidioris afflatu erysi. pelate laborant; et ipse vestium, quibus superficiem ab atmosphaerae injuriis solicite nimis defendimus, abusus, ac major ab isto ad cutem inducta mollities, non parvam impetiginum, quae pellem humanam p[re] alia defoedant, rationem in se continet. Nec minor est animi pathematum, transpirationis in opere pervertendo, in bilis regurgitatione promovenda, ac in excitanda sensibilitate ad superficiem corporis morbosa, potentia. Vel solus terror fortis jam pilos in cute erigit, juvenisque comam, si vera sunt, quae referrunt, vel temporis momento, in senis illam, seu niveam convertit. Qui anxi res suas animo considerant, hi post aures pruritum experiri ac scalpere proverbio dicuntur. Ex nervorum magis, quam ab acredinis actione, chloroticarum, ac multorum, qui febre intermitte detinentur, ulcusecula et crustas

ad genas, labra, aliisque in partibus, corroborantium remediorum effectu proficuo inducti, derivamus. Qui ingratum cute insectum ex alio se suscepisse verentur; hi, etiamsi hoc desit, ad universam pellis superficiem pruritum persentiant, et cum partem cutis unam, ob istum, vel sanus homo scalpit: in altera, vicina, vel ex solo consensu, scalpendi necessitatem persentit. Ipsae, cum cutis prurit, scalpendi voluptas, — et, cum haec negatur, singularis anxietas, nervorum in superficie imperium ostendunt.

Sensibil. per-  
versa.

Sunt, qui ob cutis sensilitatem non tam auctam, quam a communi abludentem, vel a rerum innocentissimarum contactu, ab emplastri simplicis, aut blandi linimenti actione, jam pustulis, ac erysipelate ad cutem tententur. Sunt, qui a contusione, laesione quavis levissima, mox diurna hunc ad locum ulcera, sola cutis, non humorum ex culpa, patientur; ac apud multos, in chronicis etiam morbis, uti frigoris, sic et caloris extremi in pelle sola, sensum a thermometro negari, et in perverso nervorum cutis affectu consistere observamus. Hinc in tabe, in Phthisi, ardores genarum, volarum, plantarum, corporis sine aestu majori, ae-

grotis tam molesti, — hinc volatiles illi in hypochondriacis, hysterics, ad cutem ignes, ac adustionis non modo sensus; sed et quasi effectus ( §. 359. ); — hinc parva verticis in plaga apud hystericas, glaciei aut nivis liquefactae ibi haerentis perceptio, hoc ex perverso sensationis principio descendunt, ac impetigines non paucas hoc ex morboso cutis statu derivari oportet.

Sed et *immutant* nervorum hac in parte potentiam similes effectus habere, sine dubio asserimus. Tactus certe sensus, ac diversa ab isto, seu *communis* sensibilitas, per cutis superficiem universam extensa, mutationibus non paucis, ad quas sat raro respicimus, subjiciuntur; et ex infracta, vel penitus deleta nervorum in pellem actione, quamplurima, quae hucusque non satis examinata fuerunt, phoenomena in morbis dependent. Nec ista, ex longinguo semper nervorum, aut cerebri ipsius errore, ut in apoplecticis affectibus, originem symptomatice agnoscunt; sed ad solam interdum cutis pulnam nervosam spectare observantur, ac in parte agendi ac sentiendi innertiam manifestant. Hanc ipsam non modo jam sola epidermidis per labores inducta densitas,

Sensibil. im-  
minuta.

aut in cute cicatrix, — sed et diurna ejusdem compressio, extensio, frigus nimirum, aut plurimus sub pelle collectus adeps, vel serosus latex, vel tumor subcutaneus, inducunt. Ea ipsa vero, quae superficie humanae nervis vel ab intus, vel exterius admoventur, potissimum huc spectant. Saepe ex alluente, aut in atmosphaera humidula uliginosa, contenta, — vel sub morbis in pellem deposita, ac praecipue nervosam ejusdem potentiam obtundente materia, tum exanthemata (§. 276.), et gangraenae (§. 130.), tum impetigines, seu maculae, vitiligines, sensu quovis destitutae (§§. 452. — 455.) oriuntur. Ipsi sudores, qui vel in debilioribus sine causa majori, vel in fortissimo quovis homine, vaporis in balneo, vel demum in aegrotis sub lipothymia, in moribundis, tam profusi prorumpunt: non sanguinis ex vitio, sed ob immunitam vasorum cutis resistantiam exstillant. Hanc vasorum in cute debilitatem et quasi paralysin, in aliis contagia, miasmata, venena, ac inimica nervis materia, inducunt, atque in febribus nervosis (§§. 80. — 88.), in *Eloide* (§. 85.), in perniciosa, quam *dissiporeticani* appellant (§. 35.), febre, tum continuus ille, aut colliquativus sudor, tum echymoses, maculae, ac alia quaecunque

cutis defoedatio, ex nervorum cutaneorum tenore per causas aut universo corpori, aut solis forte integumentis inherentes infratio, oriuntur. Non aliter externa, quae dolores sopiunt, spasmosque sedant, ex opio, plantisque narcoticis, stupefacientibus, composita remedia in cutis nervos operantur; ac sicut organa gustus, odoris, ac visus in proiectae aetatis hominibus labescunt; ita tactus, et quaevis cutaneorum nervorum sensibilitas, a pellis rigiditate senili obsolet, ac impetiginum variarum fundamenta in illa ponuntur. Ex fracta nervorum, et, quibus vitam conciliant, vasorum, in scorbuto potentia, tot maculae aegrotantium superficiem contaminant; ac non paucae echymoses, ex eadem ratione, in hydrope proiecto ad cutem comparent.

*Contagiorum in pellem humanam actio* Contagia.  
 vel ex ipsa iam *exanthematum* elucet historia  
 ( Lib. III. ), ac sola *impetiginum* cum illis  
 affinitas, communem in multis originem, in  
 utraque morborum classe, satis prodit. In  
 quo interim haec *contagia* consistant; hoc a  
 nobis ignorari fatentes ( §. 92. ), fatemur  
 simul, nos circa *impetiginum*, quas conta-  
 giosas dicimus, causam proximam non minus

coecutire. Nec magis dubitis hinc inde carcer ipsa his in affectibus contagiorum praesentia; ac mutua inter cives morborum propagatio , sicut somiti ex uno istorum , in alterum transeunti deberi , — ita causae ejusdem , in omnes simul agentis effectus esse potest. Hinc non paucae de morborum *contagiis* actae sunt inter medicos lites: quas *insitionis* nequidem, tam valido, ut credunt multi , argumento, satis direptas dolemus . Quodsi enim, cutaneorum saltem morborum, quod rationi non adeo repugnat, respectu, ex *vivis* seminibus, ac visum fugientibus animalculis, aegritudinum penderet communica-*tio*: haec vitalis morborum, ac saepe mortis humanae causa, cum liquore, quem sanis inserimus, non minus, quam contagia, a nobis posset *inoculari*; atque si cum adulta jam atque *exsiccata* prorsus, quod de *variolis* notum est, hoc opus aequa, ac cum recenti pure, absolvi concedatur materia; *animalcu- lorum* tamen *infusiorum*, ut vocant, histo- ria, et continuata, post exsiccationem cor- pusculi, vitalis istius potentia, huic quoque non impar foret solvendo enigmati Fatemur interim, nos morborum, contagio celebrium, qui interna non minus, quam superficiem

affligunt, — qui ex ista, recentes licet, repercussi, difficiles ac diuturnos viscerum affectus relinquunt, — qui, post longas demum moras, ad cutem iterum cum emolumento expelli, ac istorum sic crisin constitutere queunt, non facile *vivas* intelligere causas; atque ipsa, quae febribus non paucis praesunt, — quae veneram luem, jam sanato cutis ulcere, sine novo fomite, per annos continuant, — quae blennorrhoeam, — quae, post multos a morsu canis rabiosi menses, hydrophobiam inducunt, *contagia*, insectorum in his necessitatem ac verisimilitudinem omnino excludunt. Alia vero contagia in solam modo pellem, — alia, in coeteras quoque partes, ac in corporis compagem universam operari cernuntur. Greges ovium integras a scabie infectas, sed alias perfecte valentes, et quarum carnes hominum saluti nec minimum obsint, in provinciis haud paucis observamus; ac ipsa, quae hominem infestant psora, pluresque species impetigineum aliae, nisi in longum protractae, praeter cutem, nil offendere videntur.

Ad impetiginum causas, et *plethoraum*, tam universalem, quam potissimum *cutaneam*, res ferre, nequidquam haesitamus. Qua scilicet

*Plethora cutanea.*

aetate major humoribus in cute molliori vasorum patet numerus, — qua corporis amoenius floret undique superficies, — qua magis grato haec et aequaliori calore fovetur, — qua candida magis facies vel a sola vena recundia rapidissimo velut ab igne accenditur: hac etiam promptior ad pellem crux affluxus, uberior perspirabilis ex eodem humoris secretio, atque major ad *plethoram cutaneam dispositio*, quam vestimentis calidioribus, longo mollioris lecti tempore, sudoriferis, spirituosis, volatilibus remediis, ac balneorum tepidorum abusu, non raro augemus, concurrunt. Vel a sola vena sectionis, aut haemorrhagiae, quibus adsuevimus, defectu, universalem in cute pruritum personamus; ac hic ipse, quo lecti calore fovetur corpus, tempore, in succipenis hominibus, ac in quavis impetiginum specie, plus minus, augetur. Frequentissime hanc *artificialem impetiginem*, qua tam vane gloriantur thermarum non pauci medici, in illis *Marchionatus Badensis* observavimus; novimusque sanum ac plethoricum juvenem, qui, servidores has aquas, per brevissimum licet tempus, incaute ingressus, mox quatuordecim. aut plures, in pelle furunculos expertus est. Copiosas

adolescentes succipleni, aut qui liquoribus spirituosis indulgent, vel necessario corporis exercitio destituuntur, ad frontem pustulas, — et, quibus menstrua aut difficilius, aut parcus, quam par est, prorumpunt, puellae, efflorescentiam, vel periodicam, vel constantem, in facie patiuntur. Insignes saepe, quibus narium haemorrhagia, aut quibus haemorrhoides instant, circa nares, ad ani confinia, pruritus accusant; ac periculosa pulmonum plethora, futuram haemoptysin, ac tussim excitante in bronchiis, trachaea, titillatione afficiuntur; quae singula demonstrant: sensationem ingratam, calorem, ardorem, pruritum, sanguinis, humoris serosi, lymphatici sub epidermide stasin, non istorum ubique vitia, sed frequenter abundantiam, aut veram, aut spuriam, vel difficilem significare per vasa cutis progressum.

Ipse vero, qui in cutem potentius dirigitur, *calor externus*, non exiguum impetiginum partem generare observatur. Quibus hiberno sub gelu vicinius assidemus, flammæ, hæ largas, lividas, ac diutinas in pelle maculas inducunt; et a suspecto carbonum accensorum igne, quem, ne flammis faciei nitorem inquiet, sexus sequior sub

eribus tunc nascondit, non foedas modo  
in istis maculas, sed plura sibi ad uterum  
mala adsciscit. Ipsa vero *solis actio*, non  
*caloris modo*, sed *proprios*, nec satis intelle-  
ctos, effectus producit. Quamvis enim atrum  
Aethiopum colorem ex peculiari reticuli  
mucosi constitutione magis, ac ab unico  
solis ardore, derivandum esse arbitremur;  
est tamen manifesta istius, non modo in  
cute profundius tingenda vis et actio; sed  
in ipsis solis radiis, ac varia, qua in pellem  
incident, directione, latet ignota, nec a sola  
locorum positione determinanda, potestas.  
In genere quidem, quo calidiori sub coelo  
vivitur; eo major morborum cuianeorum est  
ratio; sed illa siccitatis in atmosphaera  
majoris, minoris, — illa, qua solis radii a  
vicinis corporibus reflectuntur, — ventorum  
demum, habitationum, vitae generis, vesti-  
mentorumque ratio, hos effectus frequenter  
immutat. Alia quoque incommoda, ex solius  
diversitate fabricae, cutem Aethiopis, alia  
nostram, tenere videntur; sed, donec fidelis  
ac diurna, quemvis apud Populum institu-  
ta, observatio, noctem, qua res istae invol-  
vuntur, dissipaverit; impetiginum accuratior  
historia a mortalium nemine **exspectabitur.**

Quis nempe, experientia destitutus, ex sola *Insubriae* positione et causarum, quibus subjiciuntur, communium confluxu, ad morbitot ruriculorum strage infamis, seu *Pellagrae*, ut vocant, hac in parte felici terrarum praesentiam concluderet? Quis radiorum solis, *Insubros* longe minus ac alios *meridionalis Italiae* Populos urentium, in expositam sibi cutem tam manifestam ac simul tam obscuram actionem, et producendi hac in parte, non in alia, Erysipelatis periodice redeuntis, chronici atque maligni potentiam, ex physicae Geographiae rationibus praediceret?... Atqui, licet *interna* nimis hoc in morbo urgeant symptomata, atque, dissipato jam Erysipelite, haec ipsa frequentius continent, quam ut eundem ad *impetiginem* classem prudenter referre queamus; est tamen sat evidens radii solaris verni in accendendo apud praedispositos *Insubriae* agricultores tam flebili morbo effectus, ut in illo, solius ratio *caloris* nostrorum nemini Medicorum satisfiat. Sed plura, quae aeris a sole calefacti in corpus humanum effectus concernunt, non minus nos latent. Nec etenim solus flante ab *Africæ* littoribus vento, atmosphaerae calor, sed *nervis* inimica, et sub alio vento

a majori solis ardore non observanda, nec thermometro determinanda, illius conditio, nostras, vel media sub hieme, vires inopinato prosternit, ac febris quasi malignae adventum praenunciat. Nec *aestivorum morborum*, licet hi caloris intensitatem fere sequantur, sub eodem tamen atmosphaerae aestu diversorum, causas ex manifestis semper caloris in animalia vel haec, vel illa, effectibus explicare valemus.

Sed, quae cutem calidiori sub coelo affligunt, aegritudines, hae forte non *solis* adeo in illam actioni, quam *secretionis cutaneae* a calore incitatae, mutationi morbosaे debentur. *Inflammationis* in pervertendis, qui sub eadem separantur, huinoribus, auctoritatem exposuimus (§. 121.); sed et sudor abundans, quo continuo inundatur, ac fere maceratur pellis, istius contextum aggreditur, tenorem infringit, sensibilitatem adauget. Vel sanissimi hominis sudor ad pedes, axillas, sub aestivis caloribus, — non ob humorum, ut putant, in sanis corporibus non admittendam, corruptionem; sed, vel ob auctam in folliculis cutaneis, qui suum sudori liquorem commiscent ac proprium odorem conciliant, vel ob mutatam exhalantium va-

sorum in liquidum perspirabile potentiam . — foetore majori infestatur. Quam scilicet morbosanorum, si hic, vel oris foetor, ex sanguine corrupto scaturiret, massae circumlantis conditio , — et quam infelix hominum illorum, optime licet valentium, status foeret, qui, vel hiberno sub frigore, ob peculiarem constitutionem, intolerabilem ex faucibus, axillis, aut pedibus odorem spar-gunt! Quantum non foetoris ex ulcere cutaneo a causa externa non ita pridem generato, continuo, et sine morbi interni suspi-cione, spirat, cuius in sanguine principium non haeret? In ipso hinc secretionis cutaneae actu, illud, quod acre-dine, quod foetore obest, in multis generatur; ac major humo-rum in pellem sudoribus perpetuo madentem appulsus, facilisque illorum, ab occlusis vel levi etiam frigore cutis ostiis, stagnatio, aut in vicinum rete mucosum effusio, hanc pellis ad morbosas secretiones dispositionem, atque ipsas demum impetigines non paucas, aestatis tempore, inducunt. Ipse jam sudor, licet parvus, morbus tamen est; ac vasa, quae, praesente illius causa, hunc per extrema oscula expellere non possunt: lateraliter ac per poros, ut vocant, inorganicos, vel inter

cuticulam ac rete mucosum, vel inter istud et cutem, vel demum in arctam istius celiularem, eundem, aut purum, innocentem, aut, si major cutis stimulus accedat, excretionis legibus morbosae submissum, et acrem, irritantem, effundunt: atque nunc pruritum majorem, nunc maculas, nunc vesiculas sero limpido, vel turbido liquore repletas, nunc pustulas, atque phymata, vel abscessulos, in corporis superficie, squamis saepe arecente, inducunt.

*Impet. congen.  
haered.*

Interdum ex causis allatis nulla subesse, sed ex primario atque *congenito*; nec explicando cutis vitio originem habere impetigines videntur. Saepius per *haereditatem* ex parentibus in proles tam infelix scaturit dispositio: ac visae sunt familiae, — aliae, quae, perfecta in coeteris valetudine instructae, excrescentias tamen in cute, aut maculas, in quavis prole easdem offerebant; — aliae, quae impetigines simul cum vita existis miserabili in filios, licet modo non eodem viventes, propagabant. Quas ex utero matris deformitates, huic ipsi non proprias, ferunt neonati; has facile praegnantis *imaginationi*, ac denegatae gravidis rei desideratae, cui forma similes esse interpretantur,

impressioni adscribunt, et cum in cute vi-  
tium subsistit, *naevi materni* nomine salutant;  
sed cum hanc quidem rerum originem ob-  
validas rationes admittere recusamus; verisi-  
mitem tamen aliam, quae parentum non  
modo imaginem ac lineamenta, sed et certos  
partium defectus in prolem transfundat, licet  
experientia de his testetur, proponere nequi-  
mus. Interim solidorum magis compagi, ad  
parentum similitudinem, lege nobis ignota,  
in filios ex utero transvectae, quam fluido-  
rum in isto cum prole commercio, *congenito-  
rum* vitiorum originem, ac *haereditatem mor-  
bosam* adscribere jubent copiosae prolium  
sanissimarum ex matre infecta genitarum  
historiae, ac *tardissima* in multis, et ad cer-  
tam usque vitae periodum dilata, haeredita-  
riae aegritudinis manifestatio. Atque in hac  
certe, tam obscura, naturae lege, *dispositionis*  
illius *cutaneae*, qua, sine causis manifestis,  
ac sine humoris morbos praevii in massa  
sanguinis contenti auxilio, stato fere tempore  
imperigines in una eademque familia eadem  
in cute efflorescunt, latet impenetrabile ho-  
minibus mysterium.

Prognosis.

§. 374. Causarum, quae impetigines producunt, diversitas, prompta illarum cognitio, ac temporis, quo cutis laborat, longitudo, aegrotantis aetas, coeli conditio, efflorescentiae in coeterum corpus ac in viscera effectus, — cutaneorum malorum pericula et curae difficultates determinant. In genere cuivis diurnae per cutem excretioni, tum sano in corpore, a causis externis, nascenti, tum solidorum, fluidorum ex vitio oriundae, facile tandem natura *assuescit*, ac, si incaute hic fluxus supprimatur; nunc ob retentae materiae morbosae actionem interioribus insidiosam, nunc ob *habitudinis interruptae* pericula, a nervorum, ut videtur, imperio derivanda, innumerae hominibus minitantur miseriae; atque ars medici saepe major in judicio, *mum* praesens cutis vitium extirpari conveniat, quam in promptiori ejusdem sanatione, consistit. Sed vel sub locali prorsus, ac solius pellis a vitio pendente impetigine, si diutius continuaverit, vel a resorpto quotidie ac in sanguinem deducto ichore, vel ob functionis cutaneae defectum, subvertitur sanitas: ita ut, quam sub initio absque internis curare licuisset aegritudinem remediis; hanc, infecta jamjam humorum massa, externis

modo auxiliis tractare sine damno nequeamus. Interim per longum interdum tempus naturae viribus internae partes ab infectione defenduntur, et sub variis impetigine speciebus, quod miremur, sanitas non modo seros in annos illaesa persistit; sed quaedam quasi ab aliis morbis *immunitas*, sic affectis concedi videtur. Quae *crisin* alterius aegritudinis constituunt impetigines; has caute externis tractare lex esto! Sed quemadmodum febres ipsae frequentius ex illis, quam impetigines ex febribus, oriuntur: sic, ne, quae istarum forte causa fuerunt, morbi pro effectu habeantur et curari differantur, oportet. Major vero hic medentis requiritur perspicacia, eo quod ab instante non minus, quam a praesente jam febre, impetigines non raro promptissime *dispareant*, et sic morbum, quem modo *praenunciarunt*, fecisse videantur. Ipse etiam, qui impetigines praecessit, morbus, quin semper ad cutem quid morbosi deposuerit, mutationem in ista, efflorescentiis faventem, ac morbosas secretiones inducere valebit: quae singula, judicii his de rebus fallacias, — et cur Empyricis audacter his in morbis militantibus, cautioris interdum medici tentamina superare concedatur, ostendit.

dunt. Quae per haereditatem acquiruntur impetigines, aut certa in easdem dispositio; haec, solidorum, non vero contagii forte cogniti, innixaे vitio, radicitus auferti vix unquam possunt. Similes congenitas difficultas premit impetigines; ac si pellis universa in morbosas excretiones hac lege inclinet; exsiccato in una cutis plaga istarum fonte: in altera mox eadem repullulant. Locale, seu ad parvam modo integumentorum regionem restrictum vitium, extirpationem subinde admittit; sed exempla non desunt, ubi institutae aegrotantem poenituit curae; ac, lege nobis haud perspecta, vel medioeris, ut vocant, naevi sectionem incommoda secuta sunt insignia. Quae pubertatis ante tempus in cute contigerunt: ea, hac vitae revoluta periodo, maturiori sub aetate sponte non-nunquam dispareat. Senilis impetigines aetatis, nisi a causis externis inductae, curationem difficulter, si unquam, admittunt, atque indies exasperatae, sub extremis cruciatibus, ad mortem usque persistunt. Similis impetiginum universalium multarum, quae per plures jam annos superficiem roserunt, exitus observatur; ac lenta febris, et tabes tandem, quod superest virium vitalium, consumunt.

§. 375. Pars vitae major ab animalibus, Cura prophylactica. quae cutem pilis aut plumis a natura ornata tenuerunt, in illa ab impuritatibus mundanda, et ab inimicis insectis defendenda consumitur; atque ad mutuas has inter viventia pugnas, sua cuivis arma concessa fuerunt. Quo haec non pertingunt, illinc crudior corporis ad lapidem, vel ad arborem affrictus, aut balneum, nunc vicino a flumine, nunc a subtiliori arena subministratum, in auxilium vocatur; ac si haec aggressoris insecti non deludant insidias: tunc inutiles animal in furias raptum, vel escam illius, vel nidum, et quasi ovarium constituit. Si tamen has externas impetiginum causas excipiamus; vix tantis coetera animalia, ac humanum genus, ad cutem aerumnis laborant. Etsi nempe hoc ipsum, tum vestimentis ex pellibus animalium vel alia e materia consistis, tum manuum mobilissimarum beneficio, insectorum ausus a cute propria, fere nuda, facilius avertat; pars tamen causarum (§. 373.) hominem longe major, ac alia animalia, tangit; et quam insectis praedam subtrahere conatur: hanc coeteris impetiginum occasiobus quotidie exponit.

Primum igitur in cute ab impetiginum causis praeservanda curationis momentum consistit. Has maxime illa avertunt, quae hominis superficiem contra nimias a parvo stimulo impressiones, vel a *sensibilitate morbos*, defendant; et quae robur cutis sustentare, nimiamque tum molliitem, tum rigiditatem in eadem impedire valeant. Ab ipsa quidem totius corporis sanitate haec potissimum pendent; sed matura cutis cum atmosphaerae impressionibus consuetudo, frequens infantum in frigidam immersio, quotidiana cum hac ipsa superficie abstersio, et moderata frictio, vestium calidiorum, comprimentium depositio, quamplurima hic praestant.

Hac ipsa jam methodo munditiae necessariae satisfacimus praeceptis. Haec scilicet tam cutem ipsam, quam illa, quae huic admoventur, concernunt. Unctuosa illa, quae nascentes obducit, materia, ut facilius abluantur, tepidam praeter aquam, alia, quae utramque combinent, requirit. Similes fere illorum, quae pellem impraequant, aut consplicant, et in adultis est conditio: et ut rectius cum aqua uniantur, saponem interdum, ac illius temporem exposcunt. Summa hinc balneorum tum frigidorum, tum cali-

dorum in quavis civitate est necessitas, ac istorum institutio, in calidis praecipue regionibus, non exiguum *Magistratus* curam sibi quondam promeruit, ac eandem sibi hodie apud omnes meretur. Nec etenim sola cutis mundities in eenum hic venit; sed repentina, ac saepius repetita frigidae in nervos, non modo cutis, sed omnes, ac in vasa singula, actio, — transpirationis insensibilis, ac resorptionis restauratio, augmentum, — ipsa corii humani humectatio ac jucunda pertractatio, hujus subsidii naturalis beneficia multiplicant.

Ipsa vero cutis puritas ab illa linteumnum, quae hanc involvunt, et a vestium munditie quamplurimum pendent. Frequens hinc istorum, pauperioribus eheu! nimis denegata, permutatio, atmosphaerae, in qua vegetamus, ac habitationum sollicita purificatio, ad cutis integritatem summopere contribuunt.

Maxime vero interest, in prima jam hominis aetate, caput pueri, quod impetiginis tot speciebus exponitur, non modo sensim sensimque atmosphaerae mutationibus assuefieri; sed capillos quoque frequentius tondi, et a nimio sic humorum affluxu non

minus, quam a pediculorum caterva inimica liberari.

Sic et ab alimentorum, potuumque tepidorum, ac illorum, quae principio volatili, aut acriori in cutem p<sup>rae</sup> aliis tendunt, abusu abstinendum est. Ipsa jam potulentorum calidorum in stomachum actio, digestionis, a quo cutis integritas non parum pendet, infringit officium; et ista non minus, quam spirituosa, aromatica, acria, volatilia, quemadmodum sudorem facile solicitant: sic et plenitudini cutaneae, et morbosis hac in parte secretionibus favere observantur. Non tam stricte interim haec sumenda sunt, ut non contrarii subinde calefacientium effectus in calidis regionibus ab experientia suggestantur. Vel sub coeli non tam ardentis caloribus aestivis, superadditum frigidae spiritus Vini pauxillum, eorum, qui sub sole labores pertractant, et sitim, et sudores egregie moderatur. Aromatum, quibus Afri-cae Asiaeque populi solis aestu vexati utun-tur, copia, languenti stomacho non parum conducit, ac nimios forte in illis sudores coercet. Ast vero condimentorum tam acrium frequentiori sub usu, a potu calido, quo ista magis ad cutem diriguntur, prorsus

abstinent haec gentes , in frigidam quotidie descendunt : quibus auxiliis ac celeriori stimulantis materiae per cutem difflatione , noxii condimentorum in cutem moderantur effectus .

Oleo superficiem , quod Antiquis in usu fuit , frequentius perfundi , et cutem stri-gili , qua longe patet , perficari , ad potiora , licet neglecta , hanc a moribis praeservandi auxilia pertinet . Ipsa jam natura ab innumeris cutis folliculis sebum , quo necessaria eiusdem flexibilitas ac mollities obtineretur , secerni jussit ; et ab aucto corporis partiumque motu , hoc smegma majori ex illis copia exprimitur , frictionem imminuit , ac siccitatem , rigiditatem avertit . Sub aetate juvenili hoc oleum animale in cute abundat , et ad loca , quae pellem aut cartilagini aut ossibus superimpositam agnoscunt , copiosior illius proventus , ac pinguis splendensque integumentorum habitus observatur . Apud adultos , senes , atmosphaerae calidiori expositos , aut continuo exercitio exhaustos homines , siccissit , induratur cutis , ac non modo vasa exhalantia quamplurima , sed et folliculorum sebaceorum , ut videtur , ductus obliterantur , ac

functionum hoc in organo pars major lan-  
guescit. Hinc omnes fere Africæ populi in  
cute cum oleo, aut pinguedine animali per-  
tractanda continuo versantur; atque per hanc  
propriae superficie curam, non tam nimios  
sudores, quam cutis exsiccationem, asperita-  
tem, lentamque phlogosin, ac demum ini-  
mica insecta avertere, experientia didicerunt.  
Hinc senum in primis, hominumque adusto-  
rum seu macilentorum superficiem non exi-  
guia ex oleo beneficia exspectant; atque cum  
hujus sub usu praesentes jam impetigines  
non paucas illico disparere videimus: hoc  
saepe, non tam effectibus, quam istorum  
causis, resistendo, ab unctionibus praestatur.  
In conservanda pilorum, qui caput ornant  
copia, pulchritudine, vis magna in adipe,  
quo calvariam quotidie ungunt, habetur; ac  
pars magna virtutum, quas linimentorum,  
unguentorumque in profundiores partium af-  
fectus penetranti adscribimus efficacie, ex  
superficiali protinus illorum in cutem actione  
derivanda videtur.

Potissimum vero in dirigendo *secre-  
tionum* opere, sanitatis, tum corporis univer-  
si, tum illius, quae cutem concernit, pon-  
tur momentum. Prima quidem ex illis ea

est, quae, insensibilis sub specie vaporis, per cutem absolvitur: et hujus integritas ab allatis non minus rationibus, quam a provido vestimentorum usu, a corporis exercitio, a ventriculi, et ab animi pathematum regimine quammaxime pendet. Sed et aliarum secretionum, atque excretionum, tum naturalium, ut urinae, bilis, lactis, seminis, in primis vero illius, quae per uterus periodice absolvitur, — tum morbosarum quidem, sed ex causarum latentium ac habitudinis lege fluentium, ut haemorrhoidum, haemorrhagiae natum, fonticulorum ac ulcerum, non minor est auctoritas; et recto istarum moderamine cutis nitor ac sanitas praecipue conservatur.

Praecipuum vero impetiginum curandarum *Cur a generali* in eo haeret punctum: ut, quae causa has produxit, quam citissime eruatur, atque haec ipsa, priusquam morbosae secretionis consuetudinem cutis ineat (§. 374.), quanto cyus extirpetur. Quodsi nimur in hominibus perfecta in coeteris salute instructis, ab *externis* laesionibus, ab insectis, a contagio, vel a solius modo cutis actione morbosa, impetigines oriuntur: *internis* certe tempus terendum non erit remediis; et sicut vanus istorum usus esse consuevit: ita promptioris

procrastinatio auxilii, praeter majores tandem impetiginis auferendae difficultates, ipsius quasi necessitatem mali saepissime inducit. Si causa forte *interna* cutis morbo subfuerit; tunc omnis primum attentio in illam convertenda, ac impetigo, ut alterius *symptoma* morbi, ad leges huic proprias, vel salutaris interdum ut crisis, tractanda est. Non raro interim, qui profundorem agnovit originem, non tamen internis in totum cedit, morbus cutaneus, atque vel continuato istorum usu exasperatur; vel locale tandem, sive externum sibi auxilium, ut sanetur, exposcit.

Obstacula. Magnae interim his in rebus difficultates medentem premunt. Morbosa saepe hominum dispositio ac latens in lympha vitium, non prius, quam accedente laesione ad cutem violenta, vel contagio, evolvi, — atque tunc non aliis comitari symptomatis observatur; quem quae vel in sanissimis corporibus, ob majorem modo partis affectae sensibilitatem, simplicissimum subinde cutis vulnusculum sequantur. Atqui cum, hoc ultimo in casu, externa promptissime aegrotis conducant remedia; in illo certe, ob complicatam laesiones cutaneae, licet satis recentis, naturam, cum damno subministrantur. Sic octogenarii

mobis exemplum viri occurrit, qui, cum perfecta omnino salute, pro aetate, frueretur, contusionem ad tibiam, et ex hinc ulcus modestum expertus est. Per sex modo hebdomadas hoc ipsum, sine alio sanitatis detrimento, abunde fluxerat: cum impatiens morbi senex, consilio chirurgi, exsiccantia medicamenta, — dum vero haec non prodessent, fasciam constringentem adhibuit: atque hac inculta sub methodo, paucarum modo dierum intervallo apoplecticus exspiravit. Qui diathesi scrophulosa, aut scorbutica laborant, his superacedens forte, externa ab origine, psora, nisi citius auferatur, mox complicatum, nec solis amplius externis, sine periculo, dissipandum cutis morbum accersit; atque sic nec recens satis impetigo mox, quovis in casu, sine praeviae constitutionis examine percuranda erit; nec ea semper, quam profundius latentis causae comitari signa videntur, internis ideo subsidiis indigebit.

Alteram in curandis cutis affectibus difficultatem, *remediorum internorum*, quae propria his virtute opponantur, *inopia* constituit. Quodsi nempe symptomaticas, easque non multas, excipiamus impetigines, quas *specifica*, ut ajunt, methodo per interna dissipari res*int. remeū  
incertitudō*

dicamenta conceditur; in coeteras, vix ulli  
tamen certum est, ut externis illae carere queant,  
remedio imperium. Actionem praे aliis ma-  
nifestam, sub debita atmosphaerae condi-  
tione, antimonialia, refractis dosibus porrecta,  
in cutem ostendunt; sed ipsa haec virtus  
partim ex longinquo magis abdominales in  
nervos effectu, quam ex specifica, ut vo-  
cant, stibii in pellem actione pendere, nec  
aut istius secretionem morbosam, aut latens  
in humoribus vitium corrigeret videtur. Quae  
principio subtiliori atque aromatico instructa,  
cordis, vasorumque vires intendunt, ac si-  
mul nervis amica sunt remedia, sales volati-  
les, olea aetherea: haec equidem, tepidis  
in primis, praeter atmosphaeram, potulentis,  
aut balneo, fomentatione locali, suffulta, su-  
doris, quem promovent, testimonio, praे  
coeteris ad cutem appellunt; atque tum aquae  
thermales, sulphureae, tum evolutum ex  
ipso sulphure principium, ad hanc usque poten-  
tius penetrare videntur; sed peculiaris, aut  
specifica, ut appellant, virtus, paucis, quod  
sciamus, ex istis concessa est, et laudata  
toties dulcificantium, involventium, corrigentium,  
viperarum, lacertarum viridium, lignorum,  
sarsaparillae, solani scandentis, aliorumque

actio, impetiginum aliquid vix detrahit ferociae. Sic et acidorum mineralium usus, non alia, quam quod nimiam haec irritabilitatem infringant, ratione impetigines, quae cum *suppuratione* incedunt, moderare dicendus est. Mercurialia, efflorescentias cutaneas, nisi venereum forte indolem agnoscant, vix mutare observantur. Quae alvum, aut urinam potentius movendi virtute instruuntur: ea, sicut vasorum lymphaticorum actionem intendunt, ac stagnantis ad pellem acris resorptionem secundant: ita impetigines exsiccare, aut e superficie protinus dissipare cernuntur; sed aut nec causas istarum satis auferunt; aut, si hoc praestent, abdominalem ac symptomaticam potius illae, nec secundas ad vias extensam, originem habuere.

Quodsi vero istorum per experientiam quotidianam confirmata sit veritas; fatendum tamen est: aut paucas certe alias, quam *symptomaticas*, et *criticas*, solis internis superari remediis impetigines, aut, si contra *pri-marios* cutis affectus interdum ista quid possint; vix alia, quam complicationis causarum ratione, et actione *secundaria* id ipsum efficeret.

*Externa reme-  
dia.*

Alia omnino remediorum, quae corpori *exterius* applicantur, contra impetigines *pri-marias* est auctoritas; ac licet istarum non paucae illis modo pertinaciter resistant, modo cum damno totius dissipentur; hoc tamen vel tardiorem topicorum ob usum, ac dilatatum jam ad interiora vitium, vel ob neglectas in cura morbi habitudinis leges, sic evenire consuevit.

*Actio.*

*Externa* vero, quae ad impetigines *pri-marias* adhibenda sunt, *remedia*, licet odioso *repellentium* sub titulo vix non omnia ve-niant; non sola tamen adstringentium ex classe, sed, pro variis illarum indole ac cau-sis, nunc ex illis, quae cutem humectant ac emolliunt, nunc *exsiccantium*, stupefacien-tium e numero, nunc ex familia excitantium, roborantium repetuntur, ac multorum ex istis ad solam corporis peripheriam non limi-tantur officia. Vel salivae solius externo usu impetigines haud raro dissipantur, ac anima-lia, quae cum lingua attingere queunt, cutis ulcera lambendo sanant; nec ideo, quod de succi gastrici, a saliva vix distincti, virtute exspectant, hoc vel istius, vel aquae *simplicis* ac purioris superabit efficaciam. Sordidissima crurum cutisque ulcera in *thermis*, quae saepe

vix majori, quam ista, virtute pollut, sa-  
nari conspicimus, et a solo recente mactati  
animalis, cui, ut balneo, partem herpete af-  
fectam committimus, vapore, hunc disparuis Balneorum.  
se experientia commonstrat. Sub majori cutis  
ab impetigine tensione, ac rosionis quasi  
sensu, mucilaginosa certe magis, ac emol-  
liens fomentatio, nec non balnea tam sim-  
plicia, quam cum lacte commista atque te-  
pida conveniunt; et ab istis non modo sym-  
ptomata sedantur; sed ipsam hinc inde ef-  
fluorescentiam dissipari observamus.

Qua demum agendi ratione oleosa et Pinguium.  
pingua, dum cuti inunguntur, impetigines  
tam saepe ex ista dispellant, ignoramus;  
sed partem certe remediorum, quae contra  
efflorescentias cutaneas vix non omnes a  
vulgo adhibentur, principalem, oleum pingue  
constituit: a quo, non modo rancido, sed  
etiam recente atque blandissimo, impetigines,  
saepe nimis cum summo aegrotantium damno,  
ad superficiem disparent. Ipsa certe, quae  
sub unctione adhibetur, frictio, licet vaso-  
rum, nervorum cutis actionem abhinc exci-  
tari fateamur, hos effectus non explicat; et  
poros ab oleo, ut plures defendunt, obtu-  
rari, experientia populorum refutatur (§. 373.).

Quodsi cutaneorum pars major affectuum ab *insectis* nasceretur; non difficilis tunc foret actionis, quam oleum, his animalculis infensissimum, in hanc morbi causam exerce-ret, explicatio; nisi altera, ex curationis effectu tot aegrotis funesto, difficultas relu-ctaret. Sed et ista disparebit, si cutis mor-bos, qui *symptomatico* prorumpunt, aut qui-bus, ob adultam secretionis morbosaे indo-lem, natura jam *adsuevit*, aut a quibus forte jam aliquod in lympham vitium redundavit, a *primariis*, nec vetustis efflorescentiis sepa-rate velimus: ut in quibus, aut vivens, aut inanimis earundem supponatur origo, oleo-sorum frequenter utilissima esse solet appli-catio. An forsitan relaxatis per pinguia inte-gumentorum fibris, tum istarum, tum vaso-rum, nervorum, quae morbosaे secretioni praefiguntur, sedantur motus, ac, sicut ab effuso super procellosas maris undas oleo placantur aquae, ita partium, quae cutem constituunt, frenantur impetus?... an haerens in cute acrimonia oleosis involvitur, nervo-rumque obtunditur sensibilitas?... an tristes aliquando pinguium, aliorumque externorum, in *primaria* licet impetigine, effectus a sup-pressis quidem in cute, sed ad viscera trans-vectis

vectis solidorum turbis, ac sicut violentos hominis convulsi motus per fascias sistendo, ad interna hos ipsos augemus: ita ab irritatione a superficie corporis aversa, maiores partium internalium agitationes excitantur?... Ast, quaecunque his subsit effectibus ratio; certum tamen est, innumeras a pinguibus impetigines *primarias* medicinam habere, methodique istius non ex remediorum natura, sed ex perversa eorum applicatione, infamiam venisse.

Summos quoque *sulphur* exterius adhibitum in varias impetigines imperium exercet: quod, licet partem et pingua, quibus illud plerumque commiscetur, habeant; ex cognitis tamen vel illius, vel istorum qualitatibus, nisi ubique iterum insecta pro morbi causa statuantur, explicare nequimus. Ipse quidem sulphuris, vel hepatis, ut vocant, sub forma, vel cum adipe remixti foetor, principii, cutem, ac vasa inhalantia penetrantis praesentiam testatur: ex cuius in illum actione, hujus remedii effectus interpretari viderentur; sed, sicut ex *psorae*, seu scabiei, per sulphur curatione appareat, non hanc, sed peculiarem illius, in viventem morbi causam agentem, virtutem hos effectus

producere: ita, cum idem remedium et in aliis quibusdam impetiginum speciebus prodesse observamus, ad eandem et in istis causae viventis traheremur suppositionem: nisi argumentorum, quae solo remediorum effectu nituntur, in causarum morbosarum indagine fallacias nosceremus.

*Plumbi.*

Conspicuos in cutem effectus edit *plumbum*: cuius tamen copiosae praeparationes ab omni fere aevo ad impetigines adhibitae non aequali ubivis ratione operari videntur. Salis certe sub forma, acidisque saturatus, *Saturnus*, adstringentem in solida potentiam exercet; sed aut oleo, muco animali remixta, aut pulveris sub specie adhibita, et a vapore cutaneo ex parte soluta calx plumbi, tam fortiter vix partes, ut contenta repellant, aut ab istis infarciantur, strangulentur, constringit. Aliud vero hoc in metallo continetur, quod nervis blandiatur quidem, sed, vaporis potissimum sub forma his admotum, insidias saepe struat, ac, dirissimis ad intestina excitatis cruciatibus, vitalem in extremitatibus potentiam frequenter extinguat, principium. Sed *ante* interim in plumbo exterius adhibito virtutem experientia testatur, atque hoc magis, quam alio, impetigines

*primarias* non paucas dissipari, ac radicibus interdum sanari, lubenter fatemur. Ex insidioso plumbi principio a vasis lymphaticis ad cutem resorpto, internorum stragem complures verentur: ac certe tristes impetiginum plumbeis tractatarum, qui illorum ab istis aversionem explicent, non desunt exitus; sed cum hi ipsi, in *secundariae* potissimum impetiginis speciebus, aliorum non minus sub usu remediorum occurrant, ac certum, quo nocivi plumbeorum effectus ab aliis distinguantur, signum non existat: hinc facile injustum his de rebus fertur judicium; ac summa rei dignitas, ne insons forte et non parva agendi potentia instructum, criminis damnetur remedium, nobis cautelam injungit. Certe non omne, quod interno usu sanitatem laedit, — hoc, extus admotum, cessat esse remedium; nec idem semper a re eadem, vel ore, vel corporis superficie suscepta, in hominem effectus obtinetur. Aliorum nos quidem, prout decet, experientiam venerainur; sed si nostram simul, certe non paucam, hoc de arguento consulamus; fatemur, nos plumbeorum externo ab usu, quotiescumque haec nobis indicata videbantur, non semper quidem bonos, sed nec tam

flebiles, ac multi recensent, effectus obser-  
vasse.

**Mercurialium.** Salium quoque *mercurialium* celebris in multas, diversas licet a venereis, impetigines est actio: et in illis, vel aqua solutis, vel unguento receptis, istarum non paucae medicinam agnoscunt. Nec tamen adeo in fluida, quam in solida agendo, mercurium, ut qui ore assumptus, in impetiginem, sub media licet salivatione, saepe non agit, hic operari censemus; ac singularis et hujus medicamenti in necandis insectis potentia, *viventem* impetiginum plurimarum causam iterum confirmaret: nisi *excitante* magis, aut caustica interdum, quam alia in pellem virtute hoc idem, saltem in multis impetigium speciebus, operari videretur.

- *Salium coet.*

Optimos interdum ex *maris balneo* in morbis cutaneis effectus experimur; atque ab illius virtute tum stimulante, tum simul, ob undae frigus, roborante, morbosa cutis actio mutari, ac linguens diu transpirationis opus excitari, promoveri videtur. Sed et *acidorum* tum vegetabilium, tum mineralium, cum aqua communi dilutorum, quin ipsius adeo *urinae*, non raro conspicua, ac forte similis maris balneo, ad abigendas impetigines est virtus.

Nec vanae ubique sunt laudes multorum quae cutem manifesto condensant, *adstringunt*, ac orientem ex vasorum debilitate humorum impetum non minus, quam sensibilitatis excessum a parte aegrotante avertunt. Hinc solo *fasciarum* usu non pauca crurum ulcera radicitus auferuntur; ac ipsum jam atmosphaerae *frigus*, aut cutis cum aqua frigida fomentatio, nunc meliori, nunc pes- simo sub rerum eventu, efflorescentias coer- cet. Eadem est tum aluminis, tum vitrioli albi, cupreorum, saccharique saturni condi- tio: ut quae singula, nisi rectius indicata, atque vel in *symptomatica*, vel jam in *con- suetudinem* deducta impetigine, aegrotantis quidem interitum. — sed sub attenta cau- sarum indagine, soloque cutis sub vitio, sa- nationem promovebunt.

Ea ipsa interdum, quae fortiori cutem *Escharoticos.* stimulo exasperant, alienum in eadem mo- tum excitare, ac morbosam in pellis particu- la secretionem invertere, delere valebunt. Hinc tum cantharidum, ipsi, quem impetigo defoedat, loco applicatio, — tum escharoti- corum, ipsiusque ignis, aut solaris, aut ar- tificialis, in ulcus, cuius superficiem consu-

mit, atque corrigit, actio, antiquas non raro impetigines perfecte sanarunt.

*Vegetabilium.*

Quae vero in cutem impetigine correptam, manifestam satis actionem exercent, aut amara, aut acria, vel et stupefaciente, ac sedante instructa principio vegetabilia; ea, sicut morborum, qui ab insectis oriuntur, causae viventi resistunt; ita solidorum in cute actionem, vel augendo, vel deprimente, immutare videntur. Hinc summos ex seminum Delphinii staphisagriae, Sabadillae, Apii petrosellini, ex Hellebori nigri, Ledi palustris, Nicotianae tabaci, Cicutae virosae, Veratri albi, Menispermi cocculi, Juniperi sabinac, etc. externo usu, in cutem vitiatam effectus observavimus; et sicut alia prorsus medicamentorum, cum extus applicantur, quam cum ore hauriuntur, in hominem est actio: ita optandum foret, ut, quatione potentiora ex illis vel solam in pelle, tam sanam, quam aegrotantem, vel in universum systema operentur, experimentis sat fidis innotesceret..

V. S. et sca-  
rificat.

Quemadmodum vero ex suppressa sanguinis evacuatione aut naturali, aut in habitudinem conversa, — vel et sine hac causa, ex peculiari vasorum cutaneorum plenitudine

impetigines interdum gignuntur ( §. 373. ): sic non infrequens in curandis cutis affectibus tum venaesectionis , tum scarificationum necessitas occurrit . Jam ipse cutis irritatae pruritus aut dolor, affluxum sanguinis vel in illis adeo impetiginum speciebus , quae ex cruxis abundantia originem non habent, ad pellem in multis adaugent; ac spasmodica hac in parte contractio facilem humorum circuitum in eadem impedire non raro videtur . Hinc major saepe in cutis affectibus, quam ab inexpertis crederetur, cucurbitularum sacrificatarum observatur utilitas; atque tam importunum hae ad peripheriam pruritum, quam facilem ab externis remediis, quae cutem roborant ac vel minime coarctant, phlogosin , his praemissae, avertunt .

Maxima in morbis cutaneis, quos tandem <sup>Fonticul.</sup> externis tractare coguntur, in *ulcera artificialia*, *setacea*, *fonticulos* multorum colloca-  
tur fiducia ; ac, desumpto ex hydraulicis ar-  
gumento, quam illinc aquarum obturare sca-  
turiginem, — hanc, excavata in carnibus  
fossa, humiliorem ac declivem ad locum de-  
rivare nituntur. Ast vero, quem sibi forte  
natura locum, quo peccantem expellat ma-  
teriam, hac in parte elegit: hunc ab arte,

in aliam, quo lubet, transferri, tam facile non sinit; nec sola pellis incisio, et excita- ta, cum peregrino, quod huic committunt, corpore, ejusdem exulceratio, conditionem, sub qua noxius illinc humor fluebat, novo fonti ubique concedit. Jam dictum est, fre- quentius solidorum, quam fluidorum e virtu impetigines oriri (§. 373.); ac si ille, qui ex fonticulis quotidie destillat, humor, et manifestam prodere acrimoniam, et foetorem intolerabilem spargere observatur; hoc ipsum in sano non minus, quam aegrotante in cor- pore contingit; atque insignem iterum cutis laesae aut irritatae in contentos humores, sub ipso, quo hos secernit, actu, perverten- dos, potestatem ostendit. Non aliis certe, quam qui per singula humani corporis vasa circumfertur, liquor ex artificiali integumen- torum apertura ut plurimum expellitur; sed inflammata, vel exulcerata istius superficies, peregrinum ab illo, qui in vasis agitur, humor sibi praeparat: cuius excretio saepe non aliter, quam si fluidorum quid forte abundet, ad sanitatem conferre, — saepe vero praesentem jam machinae debilitatem augere, irritationem vicinis partibus infensam communicare, aut resorpto interdum, has

ad oras corrupto, liquore, internis obesse observatur. Quae ex clavis incaute his, diurno jam fluxu confirmatis, ulceribus pro-pullulant, lethalia non paucis, infortunia: haec saepius non tam ob retentam in sanguine acrimoniam, quam ob infractas cum impetu *consuetudinis*, quae altera natura est, leges, in hominem redundant, ac impetiginis cuiusvis primariae quidem, sed jam inveteratae, sequuntur pericula (§. 374.).

Summos interim setaceorum, fonticulorum in medicina usus, quos sola ratio non satis explicat, experientia persaepe confirmat; atque sub cutis ipsius forte magis, quam partium profundiorum sub affectibus, conspicuam artificialia haec ulcera virtutem, non paucos apud homines manifestant. Non ipsis adeo in vasorum canalibus, quam in cellula-  
sa, quae istos, nervosque cutis, — aut quae hanc ipsam cum musculis ac ossibus colli-gat, acrimoniae colliguntur et stagnant. At-qui, ut ex *anasarca* hydrope docemur, ad inflictum cuti vulnusculum, non modo va-sculorum, quae in hoc ipsum hiant, sed cellulosae vicinae diriguntur ac continuo de-stillant humores; atque sic pellis infarctae depletio, ac irritantis excretio materiae per

praescriptum ab arte colatorium obtineri, impetiginisque symptomaticae causa breviori via eliminari e corpore potest. Profundius, quam primo quidem aspectu crederetur, hoc beneficium descendere: ex summo fonticulorum in *cyphosti* prope spinam positorum effectu, — ex artificialis in nervosa, ut ajunt, ischiade ulceris prope poplitem virtute, — et ex *moxae*, in rheumate pertinaci actione comparet; atque si forte ob excitatam magis in parte sana inflammationem, quam ob peccantis excretionem materiae, haec ulcera prosint; fatendum tamen est, in hoc ipso, illud, quod impetiginum sub cura quaeramus, consistere; et quoconque demum haec ulcera modo operentur; secretionem tamen in superficie morbosam ad parvum saepe ac circumscriptum ab arte ulcus limitari, ac stimuli prius incogniti indolem in cogniti illam, seu in simplicem fonticuli phlogosin atque suppurationem permutari.

Non vana hinc ulcerum artificialium in affectuum cutaneorum medela ubique dicenda est theoria; atque tum in *symptomatica* impetigine, quae, priusquam morbi fomes extingui valeat, externum sibi promptumque auxilium aliquando exposcit, — tum in pri-

mario quidem, sed *inveterato* cutis vitio, fonticulus in vicina impetigini parte, et antequam spontanea ac morbosa in cute secretio supprimatur, excitatus, ad potiora securitatis majoris ac desideratae sanationis momenta referendus est. Non tamen igitur, fonte licet novo ad cutem vix aperto, impetuosa nimis antiqui vitii curatio suscipienda, aut naturalium excretionum negligenda sunt subsidia; sed fluxu ulceris jam satis confirmato, et abactis, in quantum hoc licet, morbi causis, a mitioribus initium faciendum, et ad fortiora gradatim ascendendum est.

Quod vero de ulceris artificialis ab impetigine ipsa, quam forte, alias tam rebellem, sine alterius auxilio remedii exsiccavit, differentia testatur, est summa illius, licet jam vetusti, ad *spontaneam* sanationem dispositio, ac diversa multum ab impetigine in cicatricem perfectam promptitudo. In eo quidem utrumque mali genus conspirat: quod ex praepostera fonticuli non minus, quam ex incauta impetiginis suppressione, ob dictas jam alibi rationes, non exiguae sanitati ac vitae struantur insidiae; sed praeter haec, aequalia sibi, pericula,

singularis ab impetigine proiecta remediis opponitur resistentia: quae, reducto in fonticulum cutis vitio, vel ab ipsa, quovis certe ulcere facilis, superatur natura. Major scilicet in pelle non in totum soluta, sed ad superficiem modo, vel ad dimidiam quasi substantiam, ab impetigine distracta, erosa, et inaequaliter lacerata, irritatio occurrit; atque difficilior humoris iniqui in cellulas cuti subjectas simul effusi, per corium impervium, quam per ulcus hoc ipsum penetrans, exspectabitur separatio. Nec ideo tam *perpetua* sunt, ut ajunt, fonticulorum incommoda, quin sub iisdem, quas pro impetigine inveterata, ac in consuetudinem deducta jam praescripsimus, cautelis, circumspectam ac lentam sanationem in multis admittant.

His igitur de impetiginum natura, diversitate, causis et cura generali praemissis, ad specialem earundem pertractionem descendimus: atque primum de *maculis*, seu coloris proprii in parte cutis una vel altera, vix, aut modo parum super sana elevatae, mutatione morbosa, disseremus.



## O R D. I.

### IMPETIGINES MACULOSAE.

#### G E N. I.

..1

II

#### *EPHELIS.*



§. 376. **A** levissimo cutis vitio, *Ephelide*, Solis effectus. impetiginaum ordimur historiam. Solis, in cute hominis non modo, sed et in fructuum horreorum pellicula, petalisque florum tinguendis potestas, quocunque demum, a calore certe diverso (§. 373.), nitatur principio; insignes in gentium diversarum superficie, ac in hominum eodem sub coelo viventium pelle, colorum differentias inducit. Ipsa Aethiopum, retis mucosi sub epidermide peculiaris structura suffulta, nigredo, hac a causa intenditur; ac vestium in conservanda partium albedine effectus, quas cutis hoc a

sydere mutationes patiatur, abunde demonstrat. Nec tamen ideo vel quaevis humana pellis eandem a sole eodem actionem agnoscit, vel quaecunque, in cute eadem, particula cum eodem effectu a solis iisdem percutitur radiis; sed aut tenerior, ac pervia magis integumentorum, vel in toto, vel in parte, textura, aut major hinc illinc sensibilitas, aut certa demum ac incognita dispositio, diversos, a causa eadem, in superficie humana effectus inducit.

## Definitio.

§. 377. Qua igitur in circumscripta cutis parte color nativus a sole, magis, quam ad vicinam, in subflavum, aut fuscum, aut sere nigrum mutatur: in hac ipsa nascitur *ephelis*, vel a sole *macula*, quae vix aliam in cute, quam coloris mutationem, nec tumorem, nec aliud, quam laesae venustatis, incommodum producit.

## Diversitas:

§. 378. Nunc vero sat largam in cute plagam haec macula, et densam quasi umbram, in longum, latumque diffusam, nec interruptam, praesentat: *umbrosa* hinc a nobis *ephelis* dicenda; — nunc partes tot quasi punctis subflavis, fuscis, mox densius, mox

## Eph. umbrosa.

rarius, quasi guttatum inspersis, lenticularum figuram et colorem aemulantibus obsidentur, quod cutis vitium *ephelis lentigo* vocatur. Sed et ignis actione, qui vicinus huic assident, similes ephelidi maculas, subflavas, obscuras, pertinaces et amplas, ad tibias et crura experiuntur: quibus *spuriae* nomen *ephelidis* Eph. *spurta*. impertimur.

Eph. *lentigo*.

§. 379. Infantes, foeminae, et qui fulvo, rubroque capillo, cute vero tenera, albidiori instructi sunt, *ephelidi*, tum *umbrosae*, tum *lentigini*, prae aliis, subjiciuntur. A prima solis ad nos redeuntis, licet debilioris, in pellem actione, fere major, quam aestivis a radiis, macularum in facie, jugulo, ad superiorem thoracis partem, atque ad manus, prorumpit copia. Nec teneriora quidem plantarum folia, nec fructuum, qui ab illis pendent, cuticula, hac impetiginum a specie sunt immunia; ac licet ab insectis haec frequenter conspurcentur, maculentur; post tenuissimas tamen pluvias, quas solis urens mox excipit radius, tot puncta fere nigra, quot aquae guttulae, in iisdem comparent. Nunc vero segregatae ab invicem lentigines, nunc racematis congestae, aut

Extensio ephelid.

ubique partium dictarum tam confertae existunt: ut intermedia vix cutis albedo translucat, et color hujus obfuscetur in totum.

Causa.

§. 380. Nec tam levis quidem in cute mali originem sat clare intelligimus. A *bile* quondam, soiis a radiis exusta, ut vix non omnes coloris nativi mutationes, sic et ephelides immerito derivarunt. Sanitate coeteris hominibus aequali gaudere illos, qui ruffo, fulvoque capillo signantur, tum ratio, tum experientia confirmat. Atqui cum hi ipsi, prae aliis obiectam nobis ephelide superficiem exhibeant, — cum haec ipsa verno magis, quam alio quovis tempore, e cute progerminet; oportet aut in tenera magis ac sensibiliore integumentorum his in hominibus compagine, aut in copiosiore ac magis foetido, qui horum e cute propellitur, sudore, veram ephelidis causam latere. Quae in foliis plantarum, fructuumve in extrema pellicula a sole nascuntur, subtiliorem post imbreem, lentigines: hae ex illius radiis aquae guttula, quasi a lente vitrea, aut speculo, ut vocant, uestorio, in centrum, seu focum collectis, producuntur. An similis et *lentiginum* in homine subsistit ratio? Ad portos

ros certe eorum, qui copiosius transpirant, invisibilis haerens sudoris guttula, non minus, ac plantarum in foliis, a solis percutitur, penetratur radiis: et qui ex istis, aqueam post lenticulam, in focum collectis, concentrati ad instar ignis in cutem agerent; hi similes in ista, quam in vegetabilibus, maculas relinquere, ac lentigines formare possent. Nec obest, nullam hujus ignis in cute sensationem excitari, aut effectus causae ejusdem in alios, qui fusco ornantur capillo, non similes haberi; aut aestate, qua solis magis urget ardor, qua sudor copiosius prorumpit, vix tantas in cute lentigines formari; ac demum illaesam in lentagine epidermidem subsistere. Nam primo, celerior, ac nimis superficialis radiorum solis in summam cutem, quam dolorum ut inferat, actio hic est; secundo, fuscorum minor cutis observatur teneritas; tertio, sub aestivis caloribus, sudoris, et copia, et impetu majore propulsi, guttulae mox diffluunt: neque cutem, calori jam magis, quam verno tempore, assuefactam, lentis vitreae in modum perurere queunt; ultimo vero, qui epidermidem transreditur, et ad rete mucosum formatur, — non illam certe, sed istud, pro *foco* agnoscit, radiorum

concursus, Quod vero aliquam huic opinioni probabilitatem conciliat, est velorum tenuissimorum quidem et cribriformium, sed solis radios divertentium in praeservanda, non a calore, sed a maculis cute, formosis non ignota puellis potestas. Rete igitur mucosum in cutis punctulo solis igni subjecto, pro stagnantis atque coactae in eodem lymphae conditione, colore nunc subflavo, nunc fuscō transparens, lentigines, easque mox perennes, mox vagas, ac redeunte solis astro redeuntes, formaret. Cui praedicta lentiginum non arridet derivatio; hic citius forte nodum discindet, si easdem non aliter, ac petechias (§. 317.), in cute oriri contendant; ac sub delicatulo istius contextu, radii solaris, ut ex vasculis cutaneis humoris guttula coagulabilis hinc atque illinc transudet, lentiginemque creet. jam forsitan sufficit violentia. Hoc saltem modo *ephelides umbrosa*, ac *spiria* oriri videntur; et cutis a sole, aut ab igne rubor, ariditas et quasi erysipelacea constitutio, praeviā ephelidi, leviorē licet, sub epidermide phlogosin, aut ecchymosin confirmant.

§. 381. Nulla quidem salutis hic pericula, — sed plurimae, nec injustae, apud foeminas, fugientis ab ephelide formositatis sunt curae. Vix multum hoc cutis in vitio ab arte sperandum est; et innumera, quae hic celebrantur, auxilia, venientis potius efficaciam hiemis, quam propriam virtutem, in ephelides confirmant. Spes major in prae-  
cavendis, vel saltem in illis, quae vix semel apparuere, dissipandis, ponenda est maculis. Quod interim Medicina non aufert, — hoc mulierum astutia suco occultare jam nimis edocta est vitium. Quo tempore *lepra* domicilium in Europa fixerat, nec *lentiginosa* quidem in cute *macula*, dum sensu simul privaretur, ad illius morbi non pertinebat dia-  
gnosin ( §. 451. ).


§. 382. Ad ephelides avertendas, quod cura. eripi foeminis cura cultus sui non possit, tum radiorum solarium, flammæque vicinæ fuga, tum sollicita partium per velamenta custodia requiruntur; et verni potissimum solis, et, ab instituta vix faciei aut manuum lotura, aeris rigidi in cutem evitanda est actio. Hanc ipsam praevertit, qui has par-

tes cum ovorum albumine, aut semidum cydoniorum, gummi tragacanthae, arabici mucilagine, in frigida solutis, defendit.

Contra praesentes jam ephelides interna nil possunt remedia; externa vero, quae interdum hic prosunt, in sequentibus consistunt. Cutis primum cum sero lactis, vel aquis destillatis, risque tepidis, aut cum massa saponacea ( N. XXXIX. ), cremore lactis dulci, ac similibus, emollienda et abstergenda est. His vero peractis, ad illa, quae cuticulam magis penetrant, extravasatam sub ista, condensatamque materiam elidunt, ac vasculorum lymphaticorum in hanc ipsam actionem promoveant, recurrimus. Hinc vapor aquae et aceti, quibus sambucus infunditur, — aqua distillata, aromatica, cum aceti salisque ammoniaci pauxillo remista, linimentum camphoratum ( N. XXXVII. ) superadita salis volatilis portione, — acetum camphoratum ( N. XIV. ), aut mitior compositio ( N. XL ), — ac disparente demum ephelide, fomentatio cum frigida, cui iterum albumen ovi, ac alumonis, vel sacchari saturni portio superaddi

potest, tentari merentur. Fortiora, et quae  
cutem nimis irritant, remedia, non sine ma-  
joris, quam quod auferre contendimus, mali  
administrantur periculo.





## ORD. I. GEN. II.

*CHLOASMA.*

Definitio.

§. 383. **N**on aequo satis consilio, quas *gravidae* maculas, sine ignis aut solis effectu, in cute patiuntur, has *ephelidum* ( §§. 376. 377. ) subordinare familiae, — et alias, quae ab hepate originem vix ducunt, has et *hepaticas* nominare, et ad *vitiliginem* referre voluerunt. Hinc *chloasma* has, affines sibi, impetigines vocare, ob coloris et causae communioris rationem, arrisit: atque hoc nomine intelligimus maculas ex flavo viridescentes, aut pallidas, subinde fuscas, et ex flavo nigricantes, nunc faciem, nunc pectus, abdomen, aut inguina occupantes, in longum ac latum extensas, indolentes, saepe leves, alias paullisper asperas, quae suam ex causis internis originem, mitiorem plerum-

que, agnoscunt, ac alia, praeter cutis foe-  
ditatem, vix afferunt incommoda.

§. 384. In *gravidis* frequentius, quam differentiae.  
in aliis, hae maculae comparent (*chlóasma  
gravidarum*), atque frontem potissimum, ac Chlóasma gra-  
vidarum.  
genas, sed et collum similiter et manus, ad  
pollicis, vel et palmae latitudinem, fere lu-  
teae, subvirides, aut fuscae, interdum sub-  
nigrae, aspredinis plerumque expertes, de-  
turbanter. Incertum quidem factae conceptionis  
hae maculae signum constituant; nec prolis,  
ut ajebant, hae sexum manifestant; non pau-  
cae interim mulieres, si utero non ferant,  
hanc ignorant, — si ferant, mox patiuntur  
impetiginem; nec desunt aliae, quae, *puero*  
*onustae*, his semper maculis carere, — quae  
sinu *filiam* occultant, ab eisdem continuo  
obsideri, aut, licet miri ratio nos lateat phoe-  
nomeni, contrarium affici in modum cernan-  
tur.

Sed et foemina non praegnans, et vi-  
dua, et virgo, *chlóasma* non raro laborant:  
quod, cum ex suppresso plerumque fluxu  
menstruorum oriatur, *amenorrhœicum* vocari  
nil impedit.

Chlóasma a-  
menorrh.

**Chloasma pseudoporrige.** Et menstrui sine vitio mulieres, ac viri adeo non pauci, ad partes, non tam nudas, quam vestimentis munitas, ad pectus inprimis, et ad inguina, a chloasmate, per amplam cutis superficiem extenso, quidquam aspero, atque pruritus, caloris externi sub augmento, interdum summi, non semper experte, foedantur. Haec est *hepatica*, ut in juste appellant, *macula*: quam, ob aliquam cum porrigine ( §. 413. ) similitudinem, *chloasma pseudoporrigenum* vocamus.

**Morbi natura.** §. 385. Velut primo impregnationis jam tempore, aut tardius in aliis, hae maculae ( §. 384. ) comparent; sic vel cum coeteris, quae gravidas infestant, incommodis, post primos jam menses dissipantur; vel ad partus ipsam periodum, et ultra, rebelles subsistunt. Major vero illis in foeminis macularum esse numerus consuevit, quae praegninationis sub statu esculenta fastidiunt et vomunt, vel quae subtumido et chlorotico fere corporis habitu hoc tempore incedunt. Sic et pallidis aspectu, languidisque, aut menstruo privatis mulieribus, puellis, similia contingunt, et circumscriptam, ac unius quasi plagae in cute chlorosin hae maculae prae-

sentant. In tertia demum chloasmatis, indi-  
cata vix specie, sicut major interdum pruri-  
tus occurrit; ita volubilior macularum con-  
ditio, ac facilis in loca dissita transitio est.  
Sic *Clinicum* nuper adiit vir robustus *institu-  
tum*: cui et pectus et axillae hac impetiginis  
a specie pridem undique obsessa, vix pallida  
hujus vitii vestigia offerebant; sed diurna  
ad fauces, et ad palatum phlogosis, et ma-  
gna deglutitionis difficultas successerant: quae  
ab illita thoraci cantharidum tinctura, revo-  
cato hic loci chloasmate, brevi mora dispa-  
ruerunt.

§. 386. Quae ratio in gravida his ma-  
culis subsit, difficilis est quaestio. Nec enim  
menstruus, qui fluere hic desinit, sanguis  
acredinis prudenter accusari, — nec plethora,  
nec uteri, humorum circulo adversa moles,  
in morbi causam, apud omnes, et quavis  
praegnationis in periodo, revocari queunt.  
Ipse hinc uteri cum pelle consensus, et  
mirum nervorum hujus visceris in corpus  
omne imperium hic attendi prece aliis me-  
rentur. Hac certe ex causa, periodicus ille  
sub oculis *livor*, ac singularis in facie mu-  
tatio, mulieri, cui menstrua prorumpent, vel

*Causae.*

quae utero vix concepit, contingunt; et ex principio non alio, in puellis hoc fluxu privatis, quo tempore hunc exspectant, tot in fronte tubercula, tot pustulae, maculae ad labra, ad mentum, efflorescunt. Sic ulcusculum in fronte foeminae quadragenariae per duos fere annos conspeximus rebelle: cuius perfecta, ut videbatur, cicatrix, quotiescumque menstrua, sat abundans, *successit excretio*, iterum iterumque aperta est; atque sic non sanguinem ab utero repulsum, et copia peccantem; sed peculiarem ac periodicam hoc ex viscere in cutem faciei actionem, pertinacis ut causam ulceris, manifeste indicavit. Similia in *chloroticis* hinc inde occurruunt: ut quae, licet menstruis fere careant; minus tamen cruoris plerumque ob copiam, vel acrimoniam, quam ob singularem, atque symptomaticam in cute irritationem, pustulis ad superficiem crustosis obteguntur, quae veram, — non in sanguinis missione, non in rebus acrimoniae obversis, sed in solis corroborantibus, et restituto menstruorum fluxu, medicinam agnoscunt. Suppressas, quibus jamjam assuevimus, haemorrhoides, non absimili principio in cutem operari, suspicamur: et hoc quidem sensu, ex oppo-

sito sanguini venae portae ad *hepar* obstaculo, corporis interdum superficiem maculis, si ita lubet, *hepaticis*, foedari concedimus. Interim, non tam simplex forte chloasmatis *pseudoporriginis*, quam macularum in gravidis, chlortoticis, natura est; ac latens aliquando, quo cunque demum in viscere, defectus, aut acre rheumaticum, scrophulosum, aut aliud, hoc porriginosum subinde ac inconstans in cute vitium generare valebit.

§. 387. Nullum gravidarum in maculis, *Prognosis.* nisi spontaneum, vel primos post menses, vel tardius, ex partu veniens, auxilium, — sed nullum quoque ex istis, nisi faciei defoedatae, est incommodum. Quin ipsa interdum foetus exclusio, has, in illis, quae saepius citiusque concipiunt, non delet maculas. Quod ex amenorrhoea, haemorrhoidumque suppressione procedit chloasma: hoc morborum, quos comitatur, insequitur, — vix auget, pericula. Difficilior plerumque *pseudoporriginis*, si ab acri incognito, viscerumque oriatur vitio, sanatio est. Nec haec quidem impetiginis species, ad *leprae* quondam signa revocata non est.

Cor. -

§. 388 Nihil est, quod certas praegnantes his a maculis praeservet; et vix ullum habetur, quo praesens jam cutis vitium depellatur, auxilium. Nec enim causae ex ute-  
Chloasm. gra-  
vid.  
 ro in cutem imperantis indolem. modumque agendi tam bene perspicimus: ut internis hanc debellare queamus, vel sat tuto audeamus, remediis; et quae in illam vix reagit, externorum ad cutem applicatio , subsidi haud mulcum hoc rerum sub statu promittit. Baccarum lauri hic interim, si decorticentur, subtilis, cum melle subactus pulvis, — vel unguentum (N. XLI.), quo facies a balneo illinatur, a quibusdam proponitur. Cum pommo subacido, aut citrino, per medium dissesto, aliae hic pelleb, quo loco foedatur, quotidie perflicant; aut cum emulsione ex canabis seminibus et lacte parata frequenter abluunt: quae singula remedia, a nobis quidem, utpote propria hic experientia destitutis, nec laudari, nec tamen ut noxia damnari cum fundamento queunt.


h. amenorr. Quae vel a partu supersunt, vel gravitatis sine causa, oriuntur, maculae, hae, si languentium, aut suppressorum forte menstruorum, haemorrhoidum ex culpa propul-  
 lulent: tunc sanguinis missione, hirudinibus, —

interdum vero contrariis quasi, ac roboran-  
tibus auxiliis tolluntur.

Si viscerum forte obstructio, aut latens Chl pseudop.  
in humoribus acre, chloasmatis pseudoporri-  
ginis in causa videatur: tunc, pro varia istius  
indole, resolventia, antimonialia, mercuria-  
lia, antiscorbutica, vel demum alia indican-  
tur, atque externis praemittenda sunt auxi-  
lia.

His vero aut praemissis, aut, si cutis  
modo in culpa sit, depositis, ad externa  
transgredimur, tum allata jam supra, tum  
paullo fortiora, remedia. Hinc aut illud ex  
sinapi ( N. XLII. ), aut cantharidum em-  
plastrum, aut unguentum ex mercurio ( N.  
XLIII. ), impetigini applicamus; atque irri-  
tatione moderata, et a causae morbosae sti-  
mulo diversa, subjectae pellis debilitatem  
auferre, agendi modum immutare, et alie-  
nam a sanitate secretionem corrigere, exsic-  
care contendimus.





## ORD. I. GEN. III.

*ECCHYOMA.*

Definizio.

§. 389. **S**uccorum effusionem, *suggillationem*, *Ecchymoma* aut *Ecchymosis* significat; sed cum plurimas hoc nomen, significatione tam lata, aegritudines exprimeret: hinc modo sanguinis ex vasis propriis sub cute effusionem, atque maculam in illa, ex cruce transparente, cum tumore plus, minus conspicuo, oriundam, hoc nomine intelligunt. In multis quidem cutis, aut universae, aut in parte circumscriptae, rubor, naturalem superare, atque primo in casu, *phoenignum*, — in altero vero maculam, quam, forte congenitam, *naevum* nominarunt, constituere observatur; sed, quemadmodum ille, ex vasorum sanguiferorum in cute teneriori quantitate aut repletione majori, ac fere universali, — hic vero, nunc ex structura cutis in parte, a na-

turali abludente, nunc ex retibus vasorum cutaneorum varicosis pendere videntur: ita maculae morbosae materiam in cutis telam cellularem, praeter naturam, effusam, et colore suo a fluidis in sano homine hic loci excretis diversam, nunc liquidam, nunc vero densiorem, atque cum cellulosae telae lamellis concretam, subesse testantur. Sic ex lympha coagulabili inter *corneae* transparentis lamellulas in ophthalmite deposita ac solidae, *albuginem*, seu *leucoma* explicuimus (§. 150.); atque sic ex quavis materia, radios lucis aliter, ac serum sanguinis, ac humor lymphaticus ab hoc ipso solutus, vel quam adeps, reflectente, nunc sub epidermidie, nunc ipsa sub cute stagnante, oriuntur maculae, quae, si cruoris secum commisti quid offerant: ad *ecchymoma* referri merentur.

§. 390. Haec vero species impetiginum Nat. ecchym. (§. 389.) sine febre plerumque, ac sine dolore incedit; interim nec ista ab ecchymomate perpetuo excludi, tum *petechiarum*, *vibicinque*, jam exposita historia (§. 316.); tum luxationum, vulnerum, inflammationum, ecchymosi junctarum, exempla demonstrant.

Hinc pro morbi, *cum quo*, — vel pro causae, *ex qua* haec, aut major, aut minus extensa, descendit, diversitate, oportet esse diversa, atque nunc violentiora, nunc pauca ecchymomatis symptomata. Nec ipsius adeo coloris sat constans in isto natura est; sed, pro varia cruris sub cute effusi quantitate, — pro loci, quo confluit, ab epidermide distantia, — pro materiae aut liquidae, aut congrumatae consistentia, — ac demum pro temporis, quo vasa dereliquit, conditione, color maculae nunc coccineus ac laetus, nunc profunde ruber, sublividus, aut niger, vel tandem viridis, flavescentes, ac pallidus observatur. Pro ipsius vero cellulosae telae, inundationi cruentae aut resistentis, aut in longum latumque cedentis ratione, ecchymomatis tam figura, decursus, quam elevatio, durities, ac tensio variatur; et pro vasorum lymphaticorum, quae fluidiora in parte laesa resorbent, numero, libertate, actione diversis, humoris effusi et densitas, et color, et natura mutatur.

Diversitas:

§. 391. Plures igitur ecchymomatum sunt formae: quae tamen, nisi causae diversae ratione, non tam *species* distinctas, quam *variae*,

*varietates* offerre videntur. Sic certe color maculae aut ruber, aut niger *ecchymosis* inter et *mela**sm*a, differentiam vix constituit; et *vibex*, alia, quam formae ratione, a *macula* nequaquam distinguitur. Frequentissime alterius modo *symptoma* est morbi *ecchymosis*, atque contrarios inter se corporis affectus constantia aequali comitatur. Ipsa certe inflammatio, tum phlegmonosa (§. 123.), tum erysipelacea (§. 283.), cruoris in cellulosa, cum rubore partis, effusi exemplum largitur; ac in scorbuto, hydrope, febre tum intermittente, tum continua, in spurio aneurismate, insignis macularum rubrarum, nigrarum est numerus: quae, licet *ecchymosi* consanguineae, ac origine consimiles; vix tamen sortem illius, methodumque medendi eandem sequuntur. Potissima hinc causarum in eruendis *ecchymomatis* speciebus est auctoritas; et ex illarum consideratione diversitas istius non obscure comparebit. Hae vero, aut *exterius* in corpus operantur, atque *ecchymoma traumaticum* nobis exhibent; aut, ab internis mutationibus orientes, *ecchymoma spontaneum*, quod alterius nunc morbi *symptoma*, nunc primarium aegritudinem constituit, praesentant. Frequentius, ac vulgo

creditur, *internas* ecchymomata partes, sine causis *externis*, circumdant; ac saepius, cum *intimam vasorum majorum* in cadaveribus examinavimus *superficiem*, ad cordis vicinias prae aliis, hanc undique et per longos satis tractus sine phlogosi *suggillatam* conspeximus. Post mortem forte haec magis, quam in vita, contingunt; nec ulla nobis, quae, sub ista, hanc vasorum affectionem, ut propria, comitentur, symptomata innotescunt. Frequentissima puerarum in uteris, rudiiori obstetricantis a manu, vel ab instrumentis sine cautela introductis, observatur suggillatio.

Causae.

§. 392. Quaecunque vero, aut partium, aut totius, *externa* laesio, contusio, concussio, distensio, compressio, laceratio, vulneratio, vasorum, superficie non minus, quam viscerum, integritatem infringere, et canales sanguiferos aut nimis dilatare, aut penitus aperire, destruere, ac liquidi contenti vel in solam cellularem, vel in cavum vicinum, vel simul per vulnus, effusionem excitare valebit. Quae tegumenta quidem penetrant, ac vasa plura, aut majora offendunt; sed cutem non satis aperiunt, aut vulneris oras collabi atque claudi mox sinunt, laesiones, —

ut illae, quas instrumenta acuta, quas sclopetum, inferunt: hae, latiores non modo ecchymoses, sed partium tumores, tensionem, maiores inducunt. Quae istarum magis tenorem, concutiendo, contundendo, afficiunt: hae nervorum sensibilitatem, fibrae carneae irritabilitatem, et vasculorum lymphaticorum actionem aut imminuunt, aut prorsus auferunt, atque effusi humoris corruptioni spontaneae, putredini, gangraenae sphaceloque vel maxime favent.

Ad *internas* suggillationum causas referri praecipue merentur, quaecunque vasorum resistentiam a fluidis superari faciunt, ac eandem vel diminuunt, vel auferunt. Si humorum aliquando tenuitas hic subesse videatur; haec ipsa solidorum prius infracto tenori attribuatur oportet. Hinc major sanguinis in vasa sua, vel a cordis imperio pendens, vel modo haec ipsa in parte quadam afficiens, impetus, hinc febris violenta, exercitium muscularum immoderatum, tussis impetuosa, aut vomitus violentus, nixus fortior, contractio fibrarum spasmatica, oppletio vasorum et sanguineae excretionis suppressio, — hinc vel sola cutis suctio, vel cucurbitula superimposita, vel aeris vicini

subitanea ac major rarefactio, — hinc vasorum atonia, paresis, aut totius systematis vasculosi, et nervosi, ut in febribus malignis, debilitas, et nunc propria, nunc a consensu derivanda inertia, — hinc demum suppuratio propinqua, vel ulcus, aut acris et corrodens, vel stupefaciens materia, praecipuam ecchymomatis rationem in se continent. Quanta sit *nervorum* in cute maculanda potestas, tum ex dictis ( §§. 274. 386. ), tum ex terroris ab incubo, a phantasmate effectu et maculis in pelle, in primis vero ex scroti in strangulatis suggillatione, et ex morientium ecchymosibus, comparet.

## P:egnosiS.

§. 393. Ecchymomata *symptomatica*, ipsius morbi, ex quo nascuntur, discrimina, partim jam sub exanthematum historia exposita, sequuntur. Quae vero ex causis sibi propriis oriuntur, *primaria*: haec, istarum, ac loci, quem occupant, pro indole, — pro sanguinis effusi, vel liquidi, vel coacti, quantitate, — pro febris, aut inflammationis forte conjunctae ratione, — pro vasorum resorbentium, nervorumque in parte, quam tenent, integritate ac robore, exitus diversos, atque vel nulla, vel maxima interdum pericula agno-

scunt. Hinc saepius ut *signum*, quam ut *morbus*, ecchymosis timenda, — et non tam color, quam origo macularum attendenda est. Qui vero, in cellulosam effusus, diutius hic stagnat sanguis: hic nunquam in *pus verum*, sed aut in propriam corruptionem, quae putrida est, cum gangraena partis, abire, aut solidescere et cava cellularum delere conspicitur. Mira interim naturae in his avertendis supersunt subsidia; ac si modo aeri accessus denegetur, ac partis affectae non labescat vitalitas; per longas saepe moras immutatus hic sanguis delitescit, ac tandem, licet, summe compactus, fere ligneam in parte, ut in scorbuto ad crura, duritiem inducens, inexspectato resorbetur, ae a massa circulante, labe quavis immunis, reassumitur. Pertinacissima interdum, licet indolens, ad oculi albugineam ecchymosis occurrit, ac plures post menses vel sponte disparet. Diurna quoque sub unguibus suggillatio (*hyponichon*) esse solet, ac illorum corruptionem nonnunquam inducit. Neonatorum calvaria sub partu difficulti, obliquo, aut vectis ab impetu, frequenter ecchymomate, et conspicuo tumore afficitur, qui, fluctuationem cum prodat, per cultrum apertus, in mortem non raro termi-

natur. Sub aponevrosi effusi humores, nisi cito aut resorpti, aut sectione educti, febres, violentas inflammations, deliria, convulsiones, ac mortem hinc inde producunt.

Cura.

§ 394. Quae ecchymosis exanthematicae curationem concernant, ea satis a nobis ( Lib. III. ) exposita fuerunt; et quae alias suggillationes *symptomaticas* respiciant, haec ex morborum, quos comitantur, historia patetbunt. In ecchymomate *primario*, tum febris ac inflammationis, si quae hoc ipsum circumdet, tum causae praecedentis, habenda est ratio. Si major partis extensio, distractio, contusio, ecchymosin praedicant: tunc citius illius in frigidam immersio, fomentatio cum nive, aut cum glacie contusa, ac interdum compressio, suggillationem ac tumorem avertunt. Si ipsa sub venae sectione in cellulosa subcutaneam sese cruor infiltret: tunc fasciae detractio, ac bracchii, seu pedis, in situ, in quo, cum cutis incidebatur, haeretabant, repositio indicatur. Sub ipsius ecchymomatis a causa externa pendentis praesentia, in robustis ac plethoricis hominibus venaesectio praemittenda, ac, nisi inflamatio et partis laesae jam tumor ac durities

impediant, fomentatio cum posca, sale ammoniaco et nitro, vel acetum lithargyri, saccharum saturni, cum frigida, et alcohole, — vel radicis bryoniae recentis rasura, cum aequali spiritus vini portione, conducent. Si fortior contusio, aut ictus sclopeti, partis, quae suggillatur, vitalitatem imminuerit: tunc calida et spirituosa fomentatio cum sale ammoniaco et aceto, requiretur. Si major forte sanguinis, quam quae commode resolvi, ac prompte resorberi speretur, copia, aut crux in grumos coactus, sub cute integra, vel parvo tantum, aut jam collapso vulnusculo perfossa, vel sub tensa aponeurosi, stagnaverit: tunc pellis, aponeurosis, sine mora incidenda, aut vulnus dilatandum, vel profundae satis scarificationes, ut liquidum cruentum extillet, ac tandem externa, quae diximus, remedia, et fasciae comprimentes, in auxilium trahenda sunt. In casu majoris a sanguine in tela cellulosa putrefacto corruptionis, ea, quae ad gangraenam commendavimus, auxilia ( §. 136. ) indicantur. Nec tamen ob atrum ecchymomatis colorem, de gangraena imminentem mox cogitandum est. Nigerrimum undique abdomen, sclopeti, quo scrotum perfossum erat, ab ictu, observa-

vimus. Huic phoenomeno accesserunt et vomitus copiosus, et singultus sonori, et summa anxietas. Ter interim venam aperiri, fermentationes aromaticas cum vino et aceto calide imponi, et mox largam opii dosin imperando, nigredo ventris in viridem, at tandem in flavum, pallescentem colorem mutata, et sanitas moribundo, ut credebant, homini restituta est. Apud teneros, calvaria a partu suggillatos infantes, sectionem, hac in aetate vix innocuam, vini spiritus cum camphora, infusum aromaticum, vinosum, et calor aequalis, per impositum tumori gossypium obtinendus, supplebunt.

Quod ecchymoma *spontaneum* concernit, si menstrui forte, aut haemorrhoidum excretionis impedita suggillationem induxit; adaptata morbi causae auxilia convenient. Si spasmatica macularum observetur origo: tunc opium cum potu aromatico, ac haustu salino propinandum, cutis mador, aut sudor lenis excitandus, ac tepida fomentatio ex infuso chamomillae, roris marini, salviae, cum sale volatili et opio, exterius imponenda est. Quae sanguinem stagnantem specifice resolvant, vix noscuntur remedia, et arnicae hoc in casu adscripta virtus, ab irritante,

vasorumque lymphaticorum actionem augente principio pendere videtur. Vix aliquid a *calagualiae*, ab *Hispanis*, et nuper apud nos, laudatae, radice exspectamus. Si major in parte vasorum inertia ecchymoses inducat: tunc corticis peruviani decoctum cum vino, vel aqua calcis, vinum camphoratum (N. XL), unguentum cum sinape (N. XLII.), tinctura eantharidum, vel emplastrum existis, conducent. Si forte primis in viis, prout exanthematum occasione jam monuimus (§. 274.), suggillationis in pelle, causa latuerit: tunc emeticum, aut purgans, quod istam evacuet, ac resorptionem simul ageat, indicabitur remedium.





## ORD. I. GEN. IV.

*ERYTHEMA.*

*Nominis ratio.* §. 395. Non sine taedio, morbum cutis, quem *Erythema* appellant, et cuius, sub *er-  
sipelatis* descriptione, mentionem jam injeci-  
mus ( §§. 280. 285. ), ab ista, tam affini,  
aegritudine divellimus, et alii morborum  
classi subordinamus; sed haec est *impetiginum*  
conditio: ut cum *exanthematum* saepe confluant  
et ex hac ipsa oriatur familia ( §§. 275.  
315. 316. ): quo in casu, si, ob communem  
in multis originem, similitudinis quid ma-  
ternae retineant; non tamen ideo, aut sine  
ordinis desiderati laesione, aut curationis  
sine damno, cum illa confundi mox queunt.  
*Erythematis* igitur nos titulum ad *chronicam*  
cutis efflorescentiam referimus: quae, erysi-  
pelati, externo habitu, simillima ( §. 279. ),

eadem tamen constantior, aut frequenti redditu importunior, hujus quidem, si ita lubet, *habitualis*, *apyretici* denominatione, ut ipsi nos fecimus ( §§. 285. 290. ), potest insigniri; sed ad *impetigines* melius, istarum ut genus, quod *guttam*, ut vocant, *roseam* pro specie agnoscat, referri meretur.

§. 396. *Erythema* hinc est macula super. *Definatio.*  
*ficialis*, a cutis phlogosi non febrili, vel in longum extendi solita, vel habitudinis lege recurrens, cum rubore, aut colore ex rubro flavescente, a compressione albescens, cum pruritus, ardoris, tensionis sensu, tumore plerumque parvo, diffuso, suppurationis, saltem benignae, experite, cute frequenter levi, pustulis interdum obsessa, frequentius ab epidermidis in furfures separatione exasperata.

§. 397. Nunc vero partem fere semper *Diversitas.*  
*eandem*, nunc aliam, atque aliam, *erythema* infestat. Frequentius hoc ad faciem et crura, quam aliis in partibus, non tamen raro et in istis, efflorescit: atque cum in illa, cum ad nasum praecipue, vel ad genas, frontem, aut mentum, rubore profundo, fere livido,

ingrate splendente, interdum pustulis intermis-  
tis, longo tempore, sine magno saepe  
pruritu, aut incommodo, comparet: insulso  
satis nomine *gutta rosea* appellatur (§. 399.).  
Quae ad manus et pedes praeprimis, vel ad  
aures nasumque, a frigore praegresso, oriun-  
tur, — insigni, quavis hieme redeunte, et a  
calore lecti aut ignis vicini adaugendo pru-  
ritu instructae maculae: hae, conspicuas, ac  
in taediosa cutis ulcera satis pronos, tumores

Eryth. Pernio. in multis efficiunt, et *pernionum* sub nomine  
ad erythema revocandae sunt. Nec minus  
huc spectat cutis, ad *plicas*, quas, apud in-  
fantes, praecipue ad *collum*, *axillas*, *aures*,  
*inguina*, *nates*, ad *poplites* efformat, lenta  
et in partis exulcerationem inclinans *phlogo-*  
*sis*, et cognita *intertiginis* sub nomine af-  
fectio.

Nat. morbi.

§. 398. Vix magnis hoc morbi genus,  
nisi forte a superficie repulsum, symptomati-  
cis se prodit. Interdum quaedam anxietas,  
morositas, torpor, horripilationis et caloris  
interni sensatio praecedunt. Haec, levis in  
parte tensio, calor, aut pruritus inseguuntur.  
Mox cutis rubor, aut floridus, aut profun-  
dus, plerumque pallidus, comparet: qui cute

compressa, aufugit; liberata, revertitur. Tumor quidem, si pernionem excipiamus, vix ullus, nisi plana, et late diffusa pellis elevatio; interim a frequente erythematis accessione cutis ipsa crassescit, induratur, molemque informem et acquirit, et retinet; aut pustulis hinc inde obsidetur: quae tenuem acremve ichorem fundere, atque irritantibus male tractatae, ad nasum praecipue, carniomaticam interdum naturam assumere cernuntur. Diutius erythema, quam erysipelas, persistit; ac in multis per vitam, nasi, genarum regionem non dimittit; aut facile, ac fere periodice, sine ullius coeterum functionis laesione, recomparet. Non ubivis, sed plerumque, cuticula arescit, ac terrei coloris insuffures tenuesque squamulas separatur, majorque partis sensibilitas, ac prona in malum idem dispositio relinquitur.

S. 399. Sicut erythematis natura ab illa causae erysipelatis, — ita causae utriusque mali non multum, nisi violentiae, atque constantiae ratione, inter se differunt. Originem scilicet, nisi forte *externam*, a frigore, ab urinae, faecum, transpirationis acrioris reliquiis, a fucatis saturno linimentis, pulveribus, —

plerumque perennem ac rebellem erythema agnoscit ( §. 288. ); mulieres , senescentes , iracundos , tristes , bibaces , debilesque homines frequentius , quam alios , invadit . Ex menstrui , haemorrhoidum suppressione , ex pedum , axillarum suppresso sudore , ex viscerum infarctu , ex acri latente , specifico , ut quondam , leproso ( §. 459. ) aut alio , ex spirituosorum abusu , ex frigore majori extremitatibus admoto , et adhibito mox istis ab igne , ex cutis debilitate , irritabilitate morbosa , locali , interdum nativa , frequentius hic morbus descendit . Ex matre , crurum ulceribus perpetuo fere obnoxia , filium , et ex ista nepotem , cum cute pedis , in illo , dextri , in isto vero , sinistri , ad malleolum crassiori , tensione , calore ac aliquo rubore frequentius affecta , observavimus . Qui Bacho indulgent , hi ad nasum praecipue , ac in vultu , perpetuo rubore pustulisque frequentius notantur . Haec diurni species erythema , si per lentem examinetur , ex vasculorum , quae cutem innumera percurrunt , minororum habitu varicoso principium , remediis rebelle , agnoscit , atque hinc erythema varicodes a nobis nominatur . Similis interdum a variolis ad mentem relinquitur macula ,

quae nitidam puellarum faciem saepe nimis defoedat. *Intertrigo puerorum*, hominumque adiposorum, ex cutis, inter plicas, immunditie originem sine dubio in multis agnoscit; sed certe *lymphaticorum* vis insignis *vasorum*, qua, in partes sibi appositas et vicinas, *erosionis* actionem exercent, quamplurimum huc facere, nobis videtur.

§. 400. Diversam erythema, pro varia Cura. morbi causa, medendi methodum expostulat: quae partim ex dictis de erysipelate habituali (§. 290.), partim ex regulis, quas (§§. 388. 394.) tradidimus, eruenda est. Rarius, ac in erysipelate, *venaesectio* hic confert. Interdum cucurbitulae scarificatae conducunt; sed in causas magis, et quae aequali humorum circulo in visceribus, et excretionibus naturalibus, aut solitis resistendo, corporis ab illis inundari faciunt superficiem, respi ciatur oportet. Hinc resolventia frequenter, et ea, quae menstruorum, haemorrhoidumque fluxum, quae sudorem naturalem, licet copiosum in multis et foetore ingratum, ad pedes, axillas restituant, — maxime vero prudens animi pathematum directio, sobrietas, ciborum acrium, aromaticorum, potusque

spirituosi fuga , — tum ea , quae intestina a collecta forte saburra , aut bile acri liberent , leniora ac repetita evacuantia , semicupia , — aquarum mineralium , martialium usus , rectumve corporis exercitium , potissimam hic opem largiuntur . Eadem , ac in erysipelate ( §. 290. ) , cum cautela , externa subministrantur oportet remedia ; in locali tamen affectu , et si forte sola cutis laxitas , aut nimia sensibilitas , erythematii pro causa subesse videantur : tunc proposita jam alibi ( §§. 382. 388. ) auxilia prae aliis conducent . Ad *perniones* , in hominibus alii lymphae vitio , ut scrophuloso , scorbutico , subjectis aliquando sat maligno , et ad ulcera impura , ipsamque subinde gangraenam dispositos , ab extremitatibus avertendos , tam frigus nimium , quam subitanea partis ab isto correptae calefactio , evitanda sunt . Incipienti vix malo , affecti membra in frigidam repetita immersio , frictio cum nive , fomentatio cum aqua , alcoholis portioni remista , cum aqua marina , aut cum spiritu terebinthinae , cum puro vini spiritu , aut cum muria , salis ammoniaci volatile portiose superaddita , conducit . Si haec adhibendi jam aufugerit occasio , et dolor fortis et phlegmone partem occupent : tunc impo-

impositum gossypium oleo olivarum recenti imbutum, emolliens fomentatio, cataplasma anodinum, interdum venaesectio, scarificatio, hirudines, succus hyosciami assidue illitus, — si forte minor hic phlogosis, sed major subsit partis affectae laxitas; fomentatio cum decocto herbarum aromaticarum vinoso, aut cum vino, et aequis portionibus aluminis ac farinae indicantur. Si evitari hac in parte suppuratio non queat; fugienda sunt, quae partem ultro debilitant, cataplasma emollientia; ulcusque fungosum cum unguento digestivo, cui mercurius praecipitatus ruber commistus sit, potissime tractandum est.

Ad *intertriginem* curandam summa cutis mundities, et frequens cum frigida, plicas inter, suscepta lotio, detersio, auxilium suppeditant; sed in pinguioribus, et quibus cutis tenerior est, pueris, nisi haec ipsa lineteo, aut filis mollioribus, aut pulvere farinae, lycopodii, cretae, cerussae, plicis curaneis interpositis, a mutuo contactu praeservetur; superficie erosio, exulceratio evitari vix poterunt. Si haec ipsa apud infantem jam diutius continuaverit: tunc usum externorum et hic loci circumspectum esse oportet. Ad

*erythema varicodes*, praeter allata, acetum distillatum cum quinque fere partibus aquae purioris, vel saccharum, acetum saturni cum frigida remista, — et si forte tubercula simul cutem obsideant, unguentum saturninum, vel rubrum mercuriale ( N. XLIII. ) conducent.



# ORD. I. GEN. V.

## VITILIGO.



§. 401. **C**utis firmitas, mollities, crassities, Nominis ratio.  
flexibilitas, aequalitas, in variis non modo  
animalibus, pro speciei, sexus, aetatis, coeli  
ratione diversa est; sed et ipsos inter homines,  
aetate, sexu sibi similes, et partium, quas  
circumdat, et temporis, et valetudinis re-  
spectu, quamplurimum differre observantur.  
A nativo scilicet hujus organi contextu, ab  
atmosphaerae, vestium, et rerum coeterarum,  
externa, interna in cutem actione, a muscu-  
lorum huic ipsi suppositorum exercitio, in-  
primis vero a *tela cellularis*, quae pellem  
cum partibus colligat, laxitate, firmitate,  
repletione diversis, haec singula dependent;  
et mutua communis involucri *cubae*, cu-  
jusvis partis, quod propria vi sua non pos-

set, et formam et habitum determinat. Hinc telae cellularis lamellulis, pellem inter et partes alias, aut firmius contractis, concretis, aut modo quovis destructis, aut propriis demum succis, in primis adipe, privatis, ingratas oculo mox cutis in foveas collabitur, morboso nexu cum ossibus aut musculis concrescit, tenditur, corrugatur, et amoeno nitidoque colore spoliatur in totum; et hinc abolito semel vel a vulnere, vel a laceratione, suppuratione cutis nexu, prompta licet istum *cicatrix* restituat; foeda tamen, et vix unquam delenda superficiem macula infestat: quae depressa, inaequalis, varioque et a sano abludente colore notata, aut et pluribus hujus indolis stigmatibus conflata, aliquando exsanguis, et insensibilis, *vitiliginem*, licet eadem haud apud omnes significatio huic nomini tribuatur, constituit.

*Definitio.*

§. 402. *Vitiligo* igitur nobis maculam, aut macularum minorum congeriem in corporis superficie significat: quae, mutata, a causis vel internis, vel externis, cellulosae subcutaneae, vel integrae, vel exesae, actione, cum pellis aliqua depressione, naturalem istius colorem, mobilitatem, levitatem, sen-

silitatem , et functionem hoc in loco , aut ex parte , aut in totum pervertit .

§. 403. Nunc vero cutis hoc vitium in Diversitas. eadem sola generatur , et non tam partium internarum , aut humorum a sanis aberratio- ne , quam ex propria pellis affectione , pro- ducitur ( *Vitiligo primaria* ) . Nunc alio a morbo , et ab acri in cellularē subcutaneam , vel in cutem deposito *symptomatice* exoritur ( *V. secundaria* , carcinomatica , leprosa , scor- butica , venerea , scrophulosa , etc. ) . Utraque ex istis nunc *sicca* est ; nunc , *humida* , icho- rem foetentem et acerrimum profundit : qui ipsam , ex qua distillat , cutem aggrediens , epidermidem in surfures ac in squamas com- minuit et separat ( *V. squamosa* ) ; vel pellis superficiem exulcerat , pilorum bulbos , quod et *sicca* interdum *Vitiligo* jam facit , infestat , colorem habitumque immutat , aut prorsus e cute evellit ( *V. ulcerosa* ) .

Ipse vero hujus impetiginis ( §. 402. ) color interdum fere *lacteus* aut et *niveus* , aut superficialis modo , aut profundius demersus , ac pilos albos , lanuginosos ostendens , habitu fere subaspero , vel ut quaedam quasi guttae dispersae videantur , — subinde umbrarum

*Morphaea nigra.*

in modum *nigrescens*, squamulis obtectus et pruriens, eandem a Graecis, Arabibus, curiose nimis, distingui, ac primo in casu, *alphon*, *morpheam albam*, — in altero, *melan*, *morpheam nigram*, vocari induxit. Vitiligo demum *cicatrix* est macula, nunc depressa, nunc aspera, quasi consuta, a continui laesione, et praegressa ut plurimum suppuratione, post illius reunionem, relicta.

*Causae.*

§. 404. Vitiliginis origo ex dictis (§. 401.) quodammodo elucet. Quidquid scilicet aut cellulosam sub cute telam delere, destruere, ac pellem arctius cum carne, aut ossibus connectere, aut naturalem hujus involuci communis contextum in se ipsum contrahere, et sanguinis influxu, aut nativa sensibilitate privare potest: hoc vitiliginis ad causas pertinebit. Materno subinde ex utero, quasi dissecatae ac resanatae cutis, aut vitiliginis amplioris, *naevorum iterum* sub nomine, vestigia depresso comparent; et famosa sunt *vetularum stigmata* multarum: quae superstitionis injuria, cum, ab acu perfossa, nec sanguinem effunderent, nec dolorem sentirent, pro *Sagis* illas, rogoque dignis veneficis, declarari jam pridem fecerunt. Ad ab-

domen mulierum, quae saepius pepererunt, non simplices modo rugae, sed maculae albescentes, cicatricibus fere similes, atque cuti profundius impressae, nascuntur: quae istam, hinc in plicas relaxatam, illinc arctius cum musculis subjectis concretam ostendunt.

Quodsi tamen illarum vitiliginum, quae a suppuratione, a vulnere, ulceribus, variolis, compressione diuturna in utero, aut a cutis nexu cum subjectis partibus vitioso, oriuntur, non difficilis intellectu sit indoles; fateamur oportet, illarum, quae fere *sponite*, pluribusque simul in locis, ad pellem nascuntur, disparent, revertuntur, et morbum gravissimum, vix superabilem vel praenunciant, vel ipsaemet constituunt, obscurissimam esse vitiliginum originem! Cum vero tum istae, tum aliae difficultates, ad *lepram* magis, quam morbi praesentis historiam, pertineant; sub illius descriptione (§. 454.) hanc iterum quaestionem, pro viribus, tangemus.


§. 405. Si a leprosa, carcinomatica, alia *Prognosis*. que symptomatica praescindamus vitilagine, nulla quidem a coeteris speciebus pericula, — sed curationis difficultates forte aequales expectandae sunt. Nec enim exesam sub cute

cellulosam sic affectis restituere, aut moibas cutis adhaerentias, et male tractati vestigia vulneris, nisi talia ope chirurgica averendo, delere valemus. Inde lebiles a confluentibus, et a malignis *variolis* ad nasi, menti, genarum confines, — et ab *ulceribus venereis* circa pudenda, et a *scrophulosis* ad jugulum ac faciem, vitiliges generantur.

Cura.

§. 406. Vitiliginem a vulnere, aut a phlogosi cutanea instantem praeveniunt: illius, recentis, reunio sat prompta, aequalis, et integra, inflammationis majoris, suppurationis aversio. Quae a puris, vel sub cute adhuc dum illaesa, vel in abscessu aperto, aut in ulcere collecti effectu, et a cellulosae subcutaneae concretione, consumptione timetur vitiligo: hanc, pro varia materiae illinc haerentis acredine, et pro loci, quo colligitur, indole, prompta maturatio, puris, ichoris latentis evacuatio, ac cita demum et aequalis cicatrix, moderabunt. Jam factam ab his causis vitiliginem, nunc oleum, balneum animale, fatus emolliens, vapores ex aceto et aqua, — nunc blanda et frequens cutis collapsae agitatio, sublevatio, dilatatio, — nunc aliqua in parte sana, circa maculam, co-

pressio, — nunc sicca huic ipsi hinc inde apposita cucurbitula, aut frictio, et quae vasorum, nervorumque hoc in loco vitam excitent, conducunt. In vitilagine *secundaria*, remedia morbo ipsi, ex quo haec scaturit, adaequata indicantur. In humida, aut in squamosa vitilagine, tum alia atque alia, ratione causae, subsidia, tum ea, quae ( §§. 382. 388. 400. ) proposuimus, auxilia tententur.



## ORD. I. GEN. VI.

### *ALOPECIA.*



Alopecia.

§. 407. **Q**uo loco pars corporis, quam pilis natura obexerat, hac veste animali, fere planis parasiticis non absimili, spoliatur: eo nascitur, non vera quidem in cute ipsa macula; sed humanae superficiei decorem offendens et morbosa mutatio, quam graeci *alopeciam, ophiasin, aream* Latini, dixerunt. *Alopecia* sub qualibet figura dilatatur; si vero in longum et tortuose inter capillos area proserpuit, *ophiasis* tunc nomen a Veteribus obtinuit. Si forte sinciput, vel omnis calvaria capillis priventur, *calvitem* salutant.

*Verum ratio-*

§. 408. Ipse quidem pilus sine sensu rescinditur; sed praecipua, quae volatilia, dum plumas, — quadrupeda, cum pilos quotannis

deponunt, patiuntur symptomata (§. 373.), et gravissima ab evulsis vibrissis mala, — et mentis in soporosis per pilorum evulsionem excitatio, — et istorum a summo furore erectio, — a morbis certe, ac, si fides est historiae, a terrore canities, nervorum in bulbos sub cute pilis concessos imperium non parum demonstrant.

§. 409. Hinc et fortior cephalaea, et *Causas.*  
febris nervosa (§§. 87. 88.), et puerperii  
incommoda, pilorum defluvio favere cernuntur. Ob ignotam corporis conditionem, in  
certis familiis praematura constanter calvities  
occurrit. Quo loco viscida et oleosa cellulo-  
sam, folliculis copiosis stipatam, impraegnat  
materia: hoc major, latiorque pilorum pro-  
ventus est; atque hinc auctus sub febre qua-  
vis calor, et quae hoc smegma adipemque  
consumunt, exsiccant, tabes, senectus, ignis,  
a ferro crispandis capillis admoto, in cutem  
frequenter agens, pilorum jacturam inducunt.  
Acre quodcumque, in primis venereum, le-  
prosum, purulentum, atque aliae, quae cutis  
contextum, ut pediculi, tinea, profundius  
corrodunt, exulcerant causae, in teneros pi-  
lorum bulbulos agendo, calvitiem aut areas

relinquent: ex quibus apparet, pellis magis culpa, quam vitio pilorum, alopeciam in multis oriri; hancque ipsam pro aliorum saepe magis symptomate morborum, quam pro morbo primario, esse habendam. Plerumque certe a parte, quae pilos, non aetatis, sed morbi ratione, ammittet, epidermis in furfures delabitur, aut acris ex area distillat humor; aut crustosus innascitur herpes; aut demum cutis glabra colore mutatur, et subsidet; vel subpinguis et densa tumescit. Interim non ita pridem vir juvenis se nobis, ob *alopeciam universalem*, conspiciendum exhibuit, cui, si luem venereum, 13. jam ab hinc annis superatam, excipiamus, morbosi vix quidquam in vita, nec acciderat, nec sub examine inesse videbatur; licet per *menses* jam *duos* sibi barbam protinus decidisse, capitis, ciliorum, pubisque pilos vix non omnes defluxisse, et ungues manuum emortuos, ac sicca quasi carie exesos ostenderet. Vox erat immutata; potentia coeundi, in homine *uxorato*, a pristina non diversa; ac omnia, excepta debilitate a paucis modic diebus accusata, de illaesa valetudine testimonium edebant.

§. 410. Pro causae, quae alopeciam, aut Prognosis, ophiasin produxit, differentia, judicium hoc de morbo, vel morborum magis signo, diversum est. Quae senem calvities prehendit, aut quae bulborum destructionem agnoscit affectio: haec artis superior est subsidio. Si. mile de alopecia, quae elephantiasin comitantur, aut indicat, feratur judicium. Cute licet detracta, capillus renascitur interdum; quem vero cicatrix locum defoedat: hunc pilus nec unquam ornabit. Quod lues venerea, aut tinea induxit capillorum defluvium; hoc, morbo primario per artem devicto, novae spem comae relinquit. Si pallida, aut insensibilis est area, nec adhibita frictione rubescit; tunc ab arte, ut in ipsa *morpheaa*, vix quid. quam praestabitur.

§. 411. Nemo certe mortalium, quo *cura*. cutis loco pili radix non subest, aut quo haec ab acri exesa, consumpta fuit; eo, crines per artem educet. Cum vero praesentis forte sub cute bulbi propriae, ob quas pilus a sua radice secedit, affectiones nos lateant: hinc facile intelligitur, cur nullibi tam empypice, quam his in rebus tractandis et versati sint medici, et versari vix non ubique

debuerint. In symptomatico pilorum defluvio, morbi, qui huic ut causa subest, curatio instituenda est. Coeterum, quae pellis pilosae integritatem, nutritionem, munditiem, transpirationem aequalem, ac robur concernunt, et nimiam irritationem, sensilitatem, debilitatem, siccitatem, ab eadem avertunt: haec crines, et ex quibus nascuntur radices seu bulbos conservare, ac ammissos jam pilos resarcire, experientia confirmat. Hinc locorum, quae pilis ornantur, mundities; sudorum, pinguis, viscidæque materiae, quae illos conglutinant, et acredinem conspicuam mox contrahunt, sollicita abstersio; ferri calidioris, quo crines crispantur, et farinae, quam his inspergunt, corruptae, aut cum calce, vel oleis acrioribus copiosius remistae, fuga; frequens pectinis et levis frictionis, tum unguenti blandioris, cutemque subjectam lubricantis usus; pilorum jam nimis longorum, extenuatorum, aut in apice fissorum, recisio, commendari merentur. Nil melius est, quam novacula quotidie radere, quia, eum paulatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculae. Neque ante oportet desistere, quam frequentem pilum nasci apparuerit. Labentes ob nutritionis ne-

cessariae defectum, vel ob debilitatem, — per alimenta facilia, frequentius subministra-ta, aut per roborantia restituimus pilos. Acre specificum, aut aliud, quod pellem infestat, remedia sibi propria alibique tradenda expo-scit. Ab adstringentibus vix tanta exspecta-mus remediiis.

## O R D. I I.

## IMPETIGINES DEPASCENTES.

## G E N. I.

*PORRIGO.*

Extensio.

§. 412. **I**nter eas impetiginum species, quae cutem non modo commaculant; sed superficiem simul depascuntur ac lambunt, *Porrido*, hic primum spectanda est. Hanc vero ad capitis integumenta, non coeteram ad pellem, reducere, complures, non satis apte, ut videntur, maluerunt: ut quae ad illa quidem interque capillos, in primis densiores, frequenter, — sed certe et ad supercilia, et ad barbam, ad alas, et pubem, et in omni, quae patet, superficie, corpus defoedat; nec ratio est, cur in ista, quod ad caput *porrido* est: hoc, non diversum, nisi gradu ac loco, **malum**,

malum, *lichenem* appellemus; aut quod in pelle affecta *humiditatem* ostendit, hoc, ob istam, ad *herpetes* reducamus.

§. 413. *Porrigo* hinc erit, cum epidermis *Definitio.*  
a cute aspera, nunc surfuris, nunc squamu-  
larum sub specie, praevio plerumque pruritu,  
citra manifesta vel phlogosin, vel papulas,  
vel vesiculas, vel ulcuscula, copiose resolvi-  
tur. et pellem, nunc siccum, nunc acri, vel  
et foetido humore madentem, subtumidam,  
nunc pallidam, nunc ex luteo rubescensem  
denudat.

§. 414. Ex his (§. 413.) apparat, non parvam hanc inter affectionem, et *Erythema* vel aliorum (§§. 280. 285.), vel nostrum (§§. 395. 396.), affinitatem subesse. Inte-  
rim nec tam derepente porrigo invadit; nec rubor partis adeo in ista conspicuus, nec dolor ardens, aut calor magnus, ut in illo, separationem epidermidis praecedunt; sed modo pruritus, interdum vix ullus, aut tensio, ac levis dolor in cute affecta occurunt: quae decidua modo cuticula, et cum frictio attribetur, rubicundior appetat. Nunc ad parvam modo plagam porrigo, quasi fixa,

Diversitas.

limitatur; atque vel incertam, vel *circularēm* omnino, cum centro rubente, figuram assūmit; nunc *volatīca* et inconstans est, aut ad vicina dilatatur ac *proserpit*; nunc certis fere anni *periodis* recurrit; nunc *universalis* ac *congenita* a quibusdam scriptoribus, et, magno certe exemplo, in septem ejusdem et sanissimae familiae prolibus, a nobis observata est. *Internans* quoque dari porriginem, licet tunc furfures sub forma *sicca* separari non queant, complura nobis persuadent. Sub aphthis certe, quae stomachum, intestina obducunt, epidermis, nunc illarum sub habitu, nunc in squamulas et quasi furfures comminuta, per alvum secedit (§. 365.). In dysenteriis, ac drasticorum effectu, licet materia puriformis, coagulabilis alimentari a tubo morbose secreta, hic interdum solidescat, et membranae sub specie per anum ejiciatur; intestinorum tamen villosa interdum ab istis separari, ac furfuris levioris sub forma per alvum excerni videtur. Quod *scabiem vesicae* Antiquitas vocavit: hoc in furfure copioso ac levi in urinis suspenso, ab aegrotante hoc viscere excreto consistit. Sub catarrho tracheali, et sub specie illa *cynanchis*, quam *trachealem* appellavimus (§. 173.), nisi ipsa epidermis,

similis saltem huic pseudomembrana, aut integra, aut squamularum furfurumque sub specie, in sputis comparet. Quodsi quidem haec a quavis, et plerumque ab erysipelacea, superficiei secernentis inflammatione leviori contingent; fateamur tamen, quod porriginis a causis, his locis admotis, non absuniles effectus oporteat oriri; et quod nunc herpes, nunc porrigo, pro externis, quas derelinquunt, internas, in trachea, in bronchiis, in vesica, etc. sibi sedes nonnunquam eligere videantur. Sed et causae ratione in porragine diversitas occurrit: quod scilicet mali genus nunc cutis e vitio *primarium* existit; nunc indolem ab aliis distinctam, *symptomaticum*, ostendit, et significationem diversam assumit, Sic ipsam elephantiasin praevia haec quondam praesagiebat impetigo; nec tam est *venereae* hoc signo prodi luis praesentiam; et in genere porrigo speciebus se aliis impetiginum frequenter adsociat.

§. 415. Potissima porriginis sedes capillata pars capitis est, ac neonatis infinitibus, quo tempore capilli emergunt, epidermis in densas ac duras saepe squamas elevatur, et sub intenso pruritu in fursures copiosos re-

Decursus.

solvitur. Cephalaea in adultis quibusdam vehementior, nonnunquam periodica, prae-  
currit, et furfure permulto inter capillos de-  
cedente terminatur. Post febres, praecipue  
nervosas, petechiarum sub decursu interdum,  
sese capitis manifestat porrigo: quam deflu-  
vium capillorum non raro comitatur, aut  
sequitur. Qui, pelle subtiliori instructi, ru-  
diori verni temporis atmosphaerae se expo-  
nunt, aut, Iota vix facie, sicciore frigidoque  
a vento perplantur; his epidermis sine pruri-  
tu in farinas dehiscens mox vultum deturpat.  
Ad tibias frequenter, ac fere sine pruritu  
aut rubore, epidermis in furfures secedit, et  
ad inguina scrotique confines similia cum  
scalpendi desiderio quibusdam contingunt.  
In ea, quam supra tetigimus (§. 414.),  
familia, epidermis in tribus ex pueris, con-  
tinuo cutem asperam, duriorem, quercus  
cortici non multum absimilem, ac sulcis no-  
tata m, ex luteo rubescensem et sicciam, sine  
quovis dolore, aut pruritu, in albidas fari-  
nas conversa, obsidebat. In tribus ex soro-  
ribus, non tanta, ac in quarta et juniore,  
cutis erat asperitas; sed frequens in parte  
nunc ista, nunc illa, porrigo. Una quidem  
ex illis, rachitide affecta, gibbosa, capite

praegrandi ac informi, asthmate ac strumis, mente simul imbecilla, laborabat. Ex pueris, unus a phthisi pulmonali enectus est; ab asthmate alter, — ac tertius, hypochondriacis affectibus adhucdum tenentur.

Plerumque partes, quae porragine labrant, siccescunt ac asperae tanguntur; saepe interim sub squamulis ichor paucus, lymphaticus, sub specie madoris, ex cute integra scaturit: quin diversa, ob id, mali utriusque natura sit, aut *lichenis* illinc, hic vero *porriginis* magis nomen conveniat. Vel in ea ipsa, quam *siccum* appellant, affectione, furfures tam copiosi apud multos secedunt: ut, nisi lymphaticus; qui hic continuo per morbum secernitur, et mox, ab aeris attactu, vel sponte, solidescit, liquor suppleret; epidermis non sufficeret. Quo loco squamulas, ne prompte decidunt, capilli prohibent: eo, tenax, sub illis collectus, ichor hos conglutinat, corruptitur, et acredine, quae subjectam saepe cutem arrodat, instruitur. Aliibi, tenuis, et in furfures mox abitura, hoc ex liquore crusta generatur.

§. 416. Ex illis, quae ( §§. 414. 415.) causae. dicta sunt, jam plures porriginis causae elu-

cent; et qui cutem inter et epidermidem nexus intercedit, hic certe ob rationem non unam aboletur. Nunc etenim liquida, vel ob vasculorum cutaneorum lacerationem, erosionem, — ob infractam resistantiae potentiam, vel ob morbosam, ex haerente hic stimulo, secretionem, sub epidermide effusa, nec promptius resorpta, hanc ipsam a cute divellunt, et in punctis nunc minimis, nunc largas per plagas, aut in miliares hydriditulas, phlyctaenas, aut in amplias vesicas ac bullas attollunt: quae, difluente, vel denique consumpto humore, arescunt, ac tenuis, lataeque pelliculae, aut squamularum ac furfurum sub specie, a cute separantur; nunc vi morbi continuò, uti arborum e cortice *gymnata*, exsudans humor lymphaticus ad partis, quam inundat, superficiem dispersus, expanditur; in alteram novamque epidermidem, aut crustosum, informe operculum ab atmosphaerae attractu solidescit, inaequaliter siccatur. mox finditur, retrahitur, separatur, ac farinosum in pulverem fatiscit. Si nullus in porrigine *sicca* humor stillari dicitur; potius intelligendum est non satis extillari, ut cutem tactui madidam offerat,

diflato prius, aut solidescente humore, quam cuticula decidat.

Quaecunque hinc causae in cutem, aut in rete mucosum agentes, et istorum cum epidermide nexum dissolvunt, et, proprio in pellem stimulo, loco tenuis, subsalsi mandoris, liquorem in coagulum proniorem, morbosum, acriorem, aut et foetidum excerni, aut aliunde huc deponi faciunt: eae *porriginis*, tum primariae, tum illius, quae coeteras impetigines, exanthemata non pauca commitatur, rationem largiuntur. Non igitur specifica hic materia, aut praevium semper in humoribus vitium, et criminis ubique veteribus damnata bilis; sed vel acre, nunc illud, nunc istud, — vel, mitior lentiorque erysipelate, ac herpete (§. 420.), aut pellis aut reticuli mucosi phlogosis, — vel glutinis nutrientis in cute aut copia, aut defectus, — vel morbosa in pellis contextu sensibilitas ac perversa secretio, — impedita cutis, ob pilos numerosos, aut spurcitem, transpiratio, — pulveris cyprii acrioris, aromatici usus, radiorum solis actio in cutem diuturna, porriginis ut causae praecipuae accusari merentur.

Prognosis.

§. 417. Varia hinc porriginis, ejusque a causis repetenda, est prognosis; atque nec ubique sine aliquo vitio corporis nascitur, vel ex toto in omnibus inutilis est; nec solius modo pellis a culpa non interdum occurrit; aut majorem, quam ipsa sit, morbum subinde non indicat impetiginis haec species.

Cura.

§. 418. Qui ad diversas porriginis causas ( §. 416. ) respexerit, is non unam, sed aliam aliamque, cuivis ex istis oppositam, curationis sibi eliget methodum. Hinc aliorum, ex quibus haec affectio pendet, morborum fomes in genere tollendus, et actio in cutem praevertenda sunt ( §. 375. ). In ea, quae istius modo culpa prodit, aut quae ab acri hic elaborato, aut collecto inducitur, porragine, illa, quae pellis aut siccitatem, rigiditatem, aut laxitatem, sensibilitatem perversam, aut plenitudinem corrigant, et quae stimulantem per poros cutaneos expellant materiam, conducunt. Summa hinc cutis puritas, et frequens pectinis ad sordes inter capillos removendas usus, indicantur. Densiorem forte, importunamque comam, in primis si tenax illam foetidusque ichor conglu-

tinet, rescindere, — sed simul, ne capiti, resecto vix pilo, frigus obsit, cavere oportet. Ariditatem, rigiditatem pellis, decoctis seminum lini, herbae malvae, partium animalium et pinguium, lactis balneo, aut fotu, axungia recente, corrigimus. Laxitatem, frictione, frigidaeque usus, aut vini alcohol cum ista conjunctum, aut corticum quercus, vel chiae decoctum, solutio aluminis, salis saturni, aut fascia, tollunt. Perversam cutis sensibilitatem, ac pendentem forte ex hac ipsa secretionem morbosam, si praedictis, aut internis remediis non cedant; oleo hyosciami cum opii portione illito, — vel et stimulo contrario ex cantharidum tinctura, ex urina recente, sero lactis cum aceto remisto, moderamur. Plenitudinem cutaneam scarificatio dispergit (§. 375.). Quo vero tempore externis porriginem primariam aggredimur auxiliis, excretionum naturalium, transpirationis scilicet, urinae atque alvi habenda est ratio: quae, si recte succedant, ac moderate augeantur, porriginis curationem eximie secundant.

## ORD. II. GEN. II.

***HERPES.***

Affinitas.

§. 419 **E**pidermidem modo *parrigo* (§. 413.), — mucosum vero reticulum, et cutis ipsius superficiem *herpetes*, arrodunt. Quam vero illa cum *erythema* (§. 396.) formae affinitatem manifestat (§. 414.): hanc isti, cum *erysipelate* pustuloso (§. 282.), ejusque in primis specie, quam *zona* appellavimus (§. 287.), febre tamen plerumque expertes, ostendunt; et communissimum in civitatibus, lateque per familias expansum cutis morbum nobis exhibent: qui propria non minus diuturnitate, quam natura rebelli, ac insidiis, quas visceribus saepe struit, infamis est.

Definitio.

§. 420. *Herpes* vero est species impetiginis, quae papulis exiguis, aut rubris, aut

pellucidis, subflavis, aggregatis, cum pruritus, tensionis, ac ustionis quasi sensu, ad cutem, subtumidam, ac subduram, efflorescit; his vero vel sponte, vel scalpendo disruptis, pertinaciter ulceratur, saniemque acrem, vicinas saepe partes arrodentem pectorat, ac squamis, vel crustis informibus obstructae in lemas atque furfures resolvitur.

§. 421. Herpetis solita in *miliarem*, *ro-* Differentiae.  
*dentem*, ac *phagadenicum* divisio, formae potius, ac vehementiae, quam diversae hoc in morbo naturae, fundamento innititur. Nec alia, nunc temporis, *Mentagrae*, quam *herpetis*, nisi loci, quem illa occupat, differentia, est indoles; ac si proprius haec singula describi nihilominus mereantur; non tamen ideo pro morbi speciebus distinctis, quae gradu violentiae, aut sede, modo differunt, declarari debuissent. Alia vero causium (§. 423.), quae haec singula producunt, est ratio; ac ipsa medendi methodus hac a morbi tam multiformis divisione dirigitur: eo quod scilicet nunc cutis ipsa, injuriis occultis agitata, *primarium*, nec ab aliis pendenter, secretionis vitiosae effectu, sibi morbum elaboret (§. 416.); nunc vero ab acri

quocunque ad superficiem *symptomatice* invadatur; ac illius magis, ut ab hoste liberetur, quam sui ipsius, nisi jam *complicata* morbi indole, curam exposcat. *Congeniti* in quibusdam, — *haereditarii* in aliis, —, *epidemici* aliquando, exempla *herpetis* occurunt; ac demum in aliis, hiemali hic tempore dispare, solis aestu redeunte, redire, et quas illinc in viscera furias exercuit, has ad pellem hinc, quadam fere *periodo*, ac *metastasi*, seu *crisi imperfecta*, convertere observatur.

*Descript. herp.*

§. 422. Sed, qua sub forma herpes in cute compareat, et quas illa mutationes, eodem in morbo, patiatur, dicendum nunc est.

*H. simplex.*

In parte scilicet nunc hac, nunc illa, pruritus ingratus, ac sensus ardoris, tensionis percipitur; et mox papulae vel rubrae, vel flavae ac pellucidae, circa limbum rubellae, sat copiosae, sed dispersae, sine cutis intermediae phlogosi, ac sine febre, comparent; quae papulae vel sponte, vel unguibus disruptae, mox squamis obteguntur; quas latens sub eisdem superficiale ac urens ulcusculum mox abjicit, mox renovat; donec lento hoc ipsum decursu siccescat, ac in

leinas, surfures, et albescentes quasi farinas, fatiscat. Ad faciem, praecipue pone aures, mentique consines, circa poplitem, et collum, manuum ad palmas, plantasque pedum, hic *simplex*. vel et *farinosus*, ut appellant, *herpes* frequenter occurrit, ac internos saepe partium dolores, et nervosos, ut videtur, affectus hinc inde dispergit.

*Miliarem herpetem*, pustularum seminibus II. *Miliaris*. milii similium a forma, — ac si paulo maiores observarent vesiculas, *phlyctaenoden*, vocarunt illum; qui majori, quam *simplex*, pruritu, calore, tensione, tumore partis his a papulis copiosius obsessae, ac rubore per interstitia extenso, incederet. Insignes non raro, hoc sub statu, cruciatus, digestionis sub tempore, lautiores post epulas, et ad noctem cum vigiliis crescentes, experiuntur aegroti, ac interdum, licet rarius, febricitant. Tumor splendens ac ruber, unctionis quasi sensus, manifestam hic *phlogosin*, ac magnam cum *circini* ( §. 287. ) symptomatis similitudinem, sed longiorem ac pertinacem magis decursum, ostendunt. Brevi tempore vesiculae, ad fundum jam erosae, ad apicem subalbae, rumpuntur, ichor acris, qui effluit, saepe foetet, et partim in crustas sat tenues,

inaequales, scabrosas, colore nunc cinereas, nunc luteas, nunc a sanguine commisto, vel ex fissa epidermide squamosa stillante, subatras, concrescit. Ad manus ( facile utriusque ) dorsum, ad brachia, crura, non raro ad scrotum, perinaeum, vel quavis alia in parte, si forte faciem excipiamus, haec impetigo frequenter prorumpit, ac saepe per menses, et ut vidimus, per annos, renovato saepius pustularum reditu, moderato hinc inde furore, nunc eodem, nunc alio in loco, nunc in pluribus simul, ferocissima continuat.

*H. rodens.*

Minori plerumque violentia *herpes rodens*, vel *serpigo* incedit; sed conspicua rapiditate extenditur, atque a crustis eodem sat densis obtecto, contentus sub istis ichor in vicinas sibi partes invehitur, ac faciem inprimis, aut partes quascunque, exulcerat, quasi larva, obducit; atque cutis vestigia exesae hinc inde relinquit.

*Mentagra.*

Huic ipsi herpetis varietati, vel et *leprae*. ubi mentum, aut vultum fere totum defoedabat, *Mentagrae*, si recte judicemus, est nomen impositum Solius menti herpetem squamosum et quasi farinis conspersum, in *Clinico Instituto* observavimus, in eo certe singularem: quod viri

ab eodem affecti barba , pilos, prope cutem, penicilli in modum unitos , mox vero divergentes , crassiores ac asperos ubique exhibuerit .

*Herpetis phagadenici* non alia , quam *b. H. phagadeni rodentis* , ejusque pejoris , aut cutem , in tumorem elatam , profundius ac fere integrum exulcerantis , nec ideo in vicina tam late serpentis , conditio est .

Quod vero hic adducta herpetum divisio non nisi varios ejusdem mali gradus nobis offerat : vel ex eo , quod illorum unus , in alterum saepe transeat , conjicere licebit . Pro varia scilicet sensibilitatis cutaneae , ac prerum aliarum positione diversa , a causa prorsus eadem herpes , nunc simplex , nunc miliaris , nunc rodens , aut ulcus herpeticum , eodem in homine nascetur . Quo fortior irritatio hoc a malo inducitur : eo plura tum localia , tum a consensu derivanda , excitantur symptomata . Ad internas saepe partes , ut per nares , laryngem , etc. herpetes progressunt ; ac disparens , aut repulsum a cute malum , eventu non raro lethali , convertitur ad viscera . In eodem homine , ad iras effrenes proclivissimo , ac simul hypochondriaco , vertigines et salutis alia non pauca incom-

moda ab herpetis *simplicis* ad pedum plantas eruptione mox cessasse conspeximus. Hunc tamen spirituosis et acribus tractari aegrotanti placebat. Nascitur hydrocele: quo, per sectionem testiculi sanato! ex vulneris jam clausi superficie serum acre, ad plures in die uncias, per binas fere hebdomas, cum emolumento, exsudat. Sed hunc quoque fontem vir consiliis rebellis exsiccat, et primum hepatitis, — hac vero personata, maniacal per menses insequuntur deliria. Ipsa iterum ad scrotum cicatrix aperitur, ac humor acris effunditur: quo, fluere cessante, in manus utriusque dorso herpes *miliaris*, ac tandem *depascens* comparet, et immanes rebellis doles producit. Externis iterum abacta impetigine, periculosa otitis se prodit: qua felicitate dissipata, ad tibias herpes, ac pristina cum illo valetudo revertitur. Ex venereo ad perinaeum herpete repercuesso, dolorem in thorace punctorum, sputa sanguinis ac tandem purulenta, cum macie extrema et singularis pulmonalis phthiseos symptomatis, mercurialium virtute superare nobis licuit. Vel ad pulmones, vel uterus, vesicam, vel alia ad viscera aberrantis, vel istius, ex illis, ad cutem, felici cum omne, transvecti, copiosa occur-

occurrunt exempla: quae singula herpetem ad internas non minus laete, quam externas ad superficies florere, ac symptomata pro sede mali diversa excitare, luculenter ostendunt.

§. 423. Ipsius certe cutis extremis in <sup>Causae.</sup> oris, ac reticulo mucoso, sicut *porriginis* ( §. 416. ), ita et *herpetis primarii*, praeparatur, aut nascitur, ac fovetur, incognitae licet naturae, materies. Nec forte magna inter illam, cum pellem pertinaciter. quasi arborem lichenes, deturpat, — ac herpetem, nisi majoris ac fere causticae in ista acreditis, differentia est. Quid vel sola in vasculis <sup>secretio morb.</sup> cutaneis *secretio mutata* in mutandis humoribus valeat; hoc, simplicioris ex vulneris, pus inodorum ac blandum fundentis, — sed forte neglecti aut stimulati, ac in *ulcus* conversi, ichorem foetidissimum ac vicina rodentem, ex sanguine sanissimo, separantis, historia elucet. Forsitan non tam male dicemus: herpeticam, vel aliam, specificam, atque acrem, tunc in cute, sanguinis sine culpa, generari materiam: cum ejus vascula, per causam peculiarem, modo sic, modo aliter, incitata, prout vasa *metoic vesicatorii*

sponte ac sine morbo pro aliis, — ita ro-  
dentem atque causticum sibi ipsis, liquorem  
secernant. Hujus certe sic, humorum sine  
vitio, praeparatae fomes materiae, modo cu-  
tem, ex qua stillat, ac vicinias arrodit, exul-  
cerat; modo copiâ adactus, et ad sangu-  
inem resorptus, — aut forte in isto non  
mutatus, aut transpirationis urinaeque per  
vias non rejectus, perpetuam herpetis causam  
constituit: quae, nisi ad cutem expulsa, fe-  
bres nunc lentes, sive hecticas, — nunc  
glandularum, viscerumque infarctus, — ad  
pellem vero delata, propriam in ista, irri-  
tationem, secretionem morbosam, ac impetigi-  
nem analogam, vix tamen, ut nobis videtur,  
in alios contagio, nisi forte symptomaticus,  
ut venereus sit herpes, transituram, constituit.  
Quid hominis integumenta, fluidorum sine vi-  
tio, ut herpeticum ichorem, loco blandi mado-  
ris, secernant, inducat: hoc euidem determi-  
nari non potest; sed vix *umum*, vel, ut vocant,  
*specificum*, hoc esse; causarum aliarum, quae  
similem in cute impetiginem producunt, ef-  
fectus commonstrat.

In *bile* praecipuam herpetis causam an-  
tiquitas quaesivit: et negari non potest, hoc  
fluidum, aut exuberans, aut mora, vel aliter

corruptum, in cute, tum ex hepate regurgitans ac resorptum, tum solo abdominis in pellem consensu, istius integritati con parum obesse ( §§. 274. 373. ). Major forsitan herpetum in iracundis, quam alius in hominibus, frequentia occurrit; in ictero rebelli tum pustulae cutaneae, tum insignis pruritus comparent; et quae de chronicō ac habituali jam dicta sunt erysipelate ( §§. 288. 290. ): haec, sectio pathologica de herpetibus aliquando confirmat. Sed reticendum simul non est, Veteres ex flavo magis contenti in pustulis liquoris aspectu, ac insana de *quatuor humoribus* theoria, quam ex alio fundamento, herpetum, aliorumque affectuum, qui cutem defoedant, originem a bile derivasse. Nec etiam, cum abdomini consensus in cutem conceditur: hic idem et isti, in illud, negandus est, — nec detecta post mortem in hepate labes, pro causa magis, quam pro effectu herpetis, ubique declaranda fuisset: cum vel ipsa sub psora, seu scabie, quam ex hepate nemo jam derivat, jecinoris obstructio, quae impetiginis inveteratae aut male tractatae effectus est, subinde occurrat.

Diaetae vitia.

Nil interim aptiorem generandis herpetibus materiam, quam longa in cibis, aut rancidis, corruptis, aut aromate acriori conditis, ac potu spirituoso intemperantia, largiri videtur: cui, si otia, animique curae graviores superaccedant; nascitur singularis illa in lympha hominum aulicorum vel procurum ad herpetem, ut altera, in podagram, huic coetui, prae alio, fere propria, disposicio.

Acria diversa.

Illud ipsum vero, quod vel affectibus rheumaticis, vel scrophulis, vel scorbuto, vel venereac, vel crisibus imperfectis, subest, — herpetis non raro in pelle condit principium. Ex acri interim *venereo degenerante*, *herpeticum* oriri, non minus, quam pomorum e semine prunos exspectare, absurdum videtur. Ex parentibus *herpetes*, vel fluidorum, vel solidorum ex culpa, in filios, haereditatis sub specie, transire, experientia confirmat. Quid excretionum naturalium, vel illarum, quibus jam adsuevimus, suppressio in pellem queat, jam satis expositum est (§. 274.), et copiosa mulierum, quibus aut menstrua, aut fluor albus, — multorum, quibus haemorrhoides, aut sudor pedum solitus, aut ulcus artificiale, vetustum, — in primis senum,

quibus et urinae et cutanea simul exeretio,  
aut languent, aut suppissa sunt, exempla,  
herpetis originem ex uberrimo hoc fonte non  
parum illustrant.

Sed quod frequentes herpetis ex locali  
cutis stimulo natales demonstrat; illius, vel  
a simplici foeminarum *collari*, ex pilo hu-  
mano, — vel a praesbyterorum illo, ex li-  
no scilicet confecto, oriundi, exemplum est.  
Jam solae, quas oculus inflammatus extillat,  
lacrymae, et genas arrodunt, et phlyctaenas  
in illis quasi herpeticas attollunt; quid igitur  
mirum est, si cutis, quoque demum mo-  
do, stimulata, humorem, quem continuo  
exspirat, insonte licet sanguinis massa, in  
acrem ac fere causticum ichorem convertat?

Coeterum et cutis immundities, et lana-  
rum, pannorum, vel oleo impuro ac rancido,  
vel rebus acribus imburorum, tinctorum, tra-  
ctatio, sartoribus, textoribus, atque aliis,  
qui impura et uliginosa simul loca inhabitant,  
hanc foedam impetiginem hinc inde commu-  
nicant.

§. 424. Sicut varia herpetis natura et Prognosis.  
origo, ita diversa quoque prognosis hujus  
mali est. In genere, herpes gentilitius, con-

genitus, pubertatis post epocham continuans, inveteratus, difficulter, si unquam, superatur. Quae alterius symptomata est morbi, aut istius quasi crisin constituit, herpetica affectio; illius, nisi vitii primarii recisa radice, vel certum aegrotantis in damnum, vel sine magno successu, suscipitur curatio. Nec symptomaticus quidem herpes, ablata licet causa principali, si natura jam ulceri adsuverit, sine quovis respectu, derepente per externa suffocandus est; ac majora plerumque sanationis perversae, quam ipsius externi herpetis, pericula cerauntur. Quo tempore menstrua apud mulieres suspenditur, aboletur excretio: eo, herpes non raro malignus, et carcinomaticam quasi, naturam assumit. Qui recens est, et a solo cutis vitio exoritur herpes: hic non modo facilis, et sine noxa, externis tractari, sanari mox potest; sed internae infectionis, et contrahendae habitudinis ob metum, extirpari celeriter debet. Quo major coeterum herpetis in cutem est impetus, quo magis hanc penetrare, exedere, ac crustis defoedare cernitur: eo major plerumque in eodem sanando difficultas, et factae retrocessionis fortiora timenda sunt pericula.

§. 425. Sub cura herpetis, ad illa in- ~~cura~~  
primis, quae alibi ( §§. 375. 418. ) jam di-  
cta sunt, respiciatur; — mox vero, num  
primaria, vel secundaria, num recens, vel  
antiqua impetiginis sit indoles, — et qua ex  
origine haec fluat, inquiratur necesse est.  
Prima igitur et hic erit regula: ut quae cau-  
sa interna herpetem pro effectu agnoscat:  
haec, opportuno regimine, ac remediis huic  
ipsi oppositis corrigatur. His vero peractis,  
aut etiam, si cutis modo vitium subesse vi-  
deatur, ommissis, sub debito habitudinis jam  
forsitan contractae, respectu, ad externa mox  
subsidia ( §. 375. ) recurrentum est.

Quam sibi *herpes secundarius* curandi ra-  
tionem exposcat; hoc aliis hujus operis ex  
locis eruendum relinquimus. Cum vero non  
una, sed alia aliaque sit herpetis materia,  
quin vera ejusdem indoles ex clariori, quam  
solius cutaneae affectionis, signo ubique elu-  
geat, atque hinc multa in corrigendo inco-  
gnito hoc somite difficultas nos premat; hinc  
generales saltem in eo curationis amplectimur  
regulas: ut, habita causarum ratione, cutis  
potissimum naturalem excretionem, ac stimu-  
lantis exhalationem materiae, per summam  
illius munditiem, debitumque atmosphaerae

regimen promoveamus. Frequentior herpetum origo ex eorum, quae per cutem vel renes excernenda fuissent, retentione derivanda videtur; vel saltem illa, quae urinas, cutaneam transpirationem adaugent, ab experientia hoc in morbo proficia esse docentur. Hinc corporis exercitia, frictiones, balnea, inducia quidquam aspera, ex lana puriori confecta, et ea, quae prae aliis in cutem agere videntur, medicamenta, antimonia in primis, refracta dosi porrecta, antimonium crudum, aethiops antimonalis, vinum antimoniatum, sulphur antimoniij auratum, cum gummi resina guajaci vel et mercurio dulci conjunctum, flores sulphuris, cum successu nonnunquam adhibentur.

Qui vero acre herpeticum sui generis supponunt, hi certis, ac specificis, ut vocant, hoc ipsum medicamentis corrigere ac subjugare studuerunt: atque tum stipites dulcamarae, seu *solani scandentis*, tum corticem ubni campestris internum, pulsatillam nigricantem, seu *anemonem pratensem*, jaceam, seu violam tricolorem, vel et alcali volatile caustum, in auxilium vocarunt. Laus dulcamarae ad magnas satis doses in decocto (N. XLIV.) vel in debiliori hoc ipso extracto porrectae, a sat multis hucusque confirmata est,

et sub forma pilularum cum aliis (N. XLIV.) remista medicina tentari meretur. Fatemur interim, frequenter in vanum haec singula praescribi; nec major est virtus illorum, quae ad acre, ut sibi persuadent, involvendum, dulcificandum, ut sarsaparillae, saponariae, chinaeque radicum, aut viperarum, testudinum, ranarum decocta, aliquando per menses, aegrotantibus ingeruntur. Seri lactis, vel solius, vel cum succis plantarum, sumariae, cichorei, ramicis acuti, seu lapathi, menyanthes trifoliatae, seu trifolii fibrini, remisti effectus haud magnos in herpete conspeximus; interim, si viscerum obstructio huic ansam porrigere, aut biliosa colluvies, aut scorbutica dispositio subesse videantur: tum ad ista, tum ad alia, quae his causis opponantur, confugere licebit. Quibusdam rebellioni salis acidum marini herpetem profligavit.

His vero, atque aliis, pro morbi causa, vel adhibitis vel ommissis remedii nisi herpes supereretur, ad externa veniendum est auxilia. Sub diuturna ac in habitudinem jam conversa impetigine, huic ipsi vicinus non sine fundamento, priusquam illa persanetur, excitabitur fonticulus. Sub fortiore herpetis

phlogosi, tensione, dolore, aut si crustae  
densiores hunc efformant: emollientia et ano-  
dina, vapor tepidae, cataplasma ex lacte  
cum pane, oleum, butyrum recens, fomen-  
tatio cum malvae decocto, adhibeantur ne-  
cessere est. Si febris, quod rarum est, urgeat;  
venaesectio, vel sopiens dolores ex opio re-  
medium, conducunt. Sedata vero quidquam  
irritatione; ad illa, quae secretionem morbo-  
sam vel exsiccent, vel protinus immutent,  
veniendum est. Extractum saturni liqui-  
dum cum aqua remistum, vel catapla-  
ma ex ista, et pane confectum, vel  
unguentum saturninum, hic multis auxi-  
lio sunt; atque damna, quae a plumbo de-  
rivantur, praeposterae herpetis sanationi non  
raro tribuenda fuissent. Quibusdam interim  
in casibus tensionem, ac dolores hac a me-  
thodo aductos observavimus. Similia de usu  
externo mercurii sublimati in aqua soluti  
nunc summopere proficuo, nunc nimis irri-  
tante, dicenda sunt. Unguentum mercuriale  
album (N. XLVI.), vel citrinum (N. XX.),  
bis in die ad pisi magnitudinem herpeti illi-  
tum, vel aliud ex zinco ( N. XLVII. ),  
hunc saepius dissipavit. Sed haec singula  
tam a succo Nicotianae tabaci, emplastri sub

forma ( N. XLVIII. ) applicito , quam in pri-  
mis ab aceti destillati fortioris usu , superari  
conspeximus . Corticis quoque nucum ju-  
glandium viridis , sed prius siccata , decoctum  
( N. XLIX. ) ad ulcera herpetica laudatum  
est . Interdum rebellem aliis herpetem , ves-  
cans ex cantharidibus emplastrum huic ipsi  
impositum radicitus extirpavit ; nec aliter  
Antiquitas , quam urendo , suppurationem ,  
et tandem cicatricem inducendo , hoc mali  
genus obstinati pertractabat . Summos non  
raro in dissipandis herpetibus effectus maris  
balneum habuisse observavimus ; nec minora  
eosdem in thermis sulphureis subsidia exspe-  
ctant . Sed quocunque demum externo re-  
medio herpetem dispellere conemur : opus  
est , ut secretionis cutaneae ac renalis simul  
ratio habeatur ; atque multis , nisi alter forte  
jubeat debilitas , lenis ac repetita per alvum  
evacuatio conducit .





## ORD. II. GEN. III.

### *HIDROA.*



Definitio.

§. 426. Non absimile forma herpeti simplici cutis vitium *hidroa*, seu phlyctaenae, grano milii plerumque aequales, interdum majores, confertae, vix cohaerentes, levioribus ex causis derepente cum pruritu oriundae, fugaces, aut brevi mora in squamulas aut furfures resolvendae, nobis sistunt.

Diversitas.

§. 427. Aliae vero ex istis (§. 427.), pellucidam, sphaericamque hydatitulam praesentant: quae, nunc diaphana, ut cutis ipsa albescit, — nunc figurae magis conicae, levi phlogosi ad basin suam cincta est, ad apicem subturbido, flavescente liquore turget, et, originis ratione, *hidroa sudamen* vocatur. Aliae sub febribus tum acutis, ut illa,

*H. sudamen.*

quae peripneumoniam comitatur (§. 193.), tum in ipsis intermittentibus, ad pectus, labra, vel alias ad partes, nunc evidenti cum fructu, nunc sine isto, cum pruritu et ardore, copiose prorumpunt, et sponte disruptae, herpetum adinstar, in crustas exsiccatae, brevi tempore in squamulas resolvuntur: *hidroa febrile* dicendae. Vel a solo terrore, oris circa ambitum, phlyctaenae prodierunt, et apud hystericas, chloroticasque virgines, apud hypochondriacos, similia hinc inde sine causa manifesta occurrunt. Ipsa demum in foeminis delicatulis miliaria, quae febris sine impetu per menses in cute teneriori florescant (§. 312.), — atque illa, quae extendit laesione, ex ossium fractura, vulneribus, hinc inde oriuntur (§. 324.), huc spectant; ac singula nervosae prosapiae phenomenon nobis offerunt: quod *hidroa nervosum* appellabimus. Alia phlyctaenarum, ratiorque est species; quae, coloris nunc albi, nunc lividi aut subnigri, circa limbum inflammata, ac in vesiculis lenticulae, vel et fabae magnitudinem aequantibus consistens, vel noctis modo tempore ad cutem erumpit, vel eodem dolores acerbos, diluculo remittentes inducit, et *Epinyctidis* sibi nomen a *H. Epynictis*.

H. febrile.

H. nervosum.

veteribus obtinuit ( hidroa Epinyctis ). Ipse forte *pemphigus* ( §§. 357. 319. ), cum sine febre comparet, hoc ad genus morborum referri meretur .

Decursus.

§. 428. *Hidroa sudamen* aestivam atque calidis regionibus magis propriam , levioris momenti , cutis affectionem constituit . Frequentior sudaminum , sub aere simul calido ac humido proventus est , et , qui huic necdum adsueverunt , coeli frigidioris incolae ; hi prae aliis a pruriente hoc pellis affectu per annos bene multos , sub quavis aestate , tenentur . Infantes prae adultis , et ex istis , illi , qui cute teneriore obteguntur , sudamina patiuntur : quae in facie non minus , quam ad manus , totamque superficiem , sub forma descripta ( §. 427. ), nunc alba , nunc rubra , cum summo , et ad noctem praecipue crescente pruritu , efflorescunt , et a quovis corporis exercitio , vel frigidioris ab aquae potu , mox numero augentur . Saepe qui sub fervida aestate undae frigidae solatia sibi quaerunt , mox a balneo ad cutem copiose his a pustulis obsidentur . Quemadmodum vero hae phlyctaenae ad pellis superficiem quam citissime erumpunt ; sic a moderato

atmosphaerae calore ex eadem promptissime disparent; ac licet ab istis plerumque nil danni observetur; non tamen desunt exempla illorum, qui, pruritus ad cutem impatiens, sudores salutares arcendo, vel flumina petendo, in febres, diarrhoeas ac alia incommoda non pauca inciderunt. Post paucas modo dies sudamina arescunt ac in squamulas resolvuntur; sed donec solis aestus dissipetur, in cute mox nova succrescunt, ac somnum vix ullum sic affectis sub stragulis concedunt.

*Hidroa febrile*, morbi primarii, cuius comes est, decursum vel totum absolvit; vel, ut crisis salutaris, huic finem imponit.

Similia de *hidroa nervoso*, alterius plurumque morbi symptomate, dicenda sunt.

*Epinycitis hidroa*, nisi *circinum* aut *zosterum* (§. 287.), aut *pemphigum* (§. 395.), pro ista, Auctores, ut dubitamus, describant, perraram, nec visam nobis, forte eandem cum *terminintho* Graecorum, aegritudinem constituit: sine sexus, aetatis aut roboris ratione, nunc praeviis, nunc exclusis, torpore, lassitudine, anxietate, pallore, anorexia, excute tenera vel transparentes et albae, vel lividi, aut atri coloris phlyctaenae, nunc

discretae, innumerae, nunc largam cutis plaga<sup>m</sup> occupantes, ad lentis, sive fabae magnitudinem, raro magis, extensae, ad noctem, plerumque cum febre, erumpunt; vel, si solis ab ortu nascantur; sub illa tamen vehementius, et supra magnitudinem ulceris, aegrotum torquent. Singulas phlyctaenas rubor urens circumdat; atque dum illa rumpitur, humor plerumque transparens, et cui lividum vel atrum fundus ulceris latentis colorem impertiverat, effluit. Spoliata humore contento epidermis collabitur, atque cum ipso demum ulceris fundo post paucos jani dies arescit, et in squamas, non sine cutis erosae vestigio, resolvitur.

Causae.

§. 429. Non sanguinis certe, sed sudoris, calidiori sub coelo copiosioris, foetidioris, acrioris, et ad pellem sensiliorem a causis minoribus retenti ex vitio, sudamina nascuntur. Contractis scilicet a frigore incaute admisso cutis spiraculis, impulsus his ipsis liquor transpirabilis, lateraliter, rete inter mucosam ac epidermidem, transudat, haec ipsam ab illo divellit, vesicula miliformi inclusus, tensionem, stimulumque hic concitat, ac specifica acredine a morbosa secre.

secretione , vel propria natura , instructus , subjectae pellis nervulos , ut cantharidum huic impositum acre , irritat , istamque exulcerat ; vel in sanguinem cum violentia et in copia revectus , nunc in canalem intestinalem , nunc alias in partes invehitur , ac choleras , diarrhoeas , aut febres , anxietates , catarrhos , ac rheumata inducit . Nullibi certe major ex suppressa transpiratione . quam illinc morborum est cumulus : ubi fervidae atmosphaerae aestus ac humiditas continua affluxum humorum ad cutem laxiorem simulque magis sensilem , perpetuo invitat , et ubi major coeli inconstantia maceratae pellis opus suspectum interioribus frequentius ac cum impetu transmittit . Non alia phlyctaenarum ex terrore , ex affectu quovis nervoso , qui vasa cutis impetuose constringunt , ac majorem in cute sensibilitatem inducendo , secretiones in eadem morbosas inducunt ( §§ 276. 359. ) , origo videtur . In *hydroa febrili* , ac *epinyctide* , eas ipsas , quae nunc miliaria ( §. 324. ) nunc erysipelas ( §. 288. ) , nunc pemphigum ( §. 360. ) progenerant , rationes subesse arbitramur . Quid in secundo ex illis , tam graves noctu dolores excitet ; hoc non

magis, quam venereorum ad ossa dolorum augmentum nocturnum, intelligimus.

Prognosis.

§. 430. Sudaminum nulla, nisi, quae diximus (§. 428.), retrocessionis subitaneae, discrimina existunt. Qui plures per annos coeli calidioris in cutem actioni assueverunt, hi tandem sudamina, quam ad senae, pauciora patiuntur. Phlyctaenae febriles nervosae, ex morbis, quos ut crisis, vel symptoma sequuntur, judicium desumunt. Epinyctidis, ut naturam, sic et prognosin ex propriis observationibus indicare nequimus.

Cura.

§. 431. Ab adversis modo rebus in sudaminibus abstinendum est; et qui causas hujus incommodae magis, quam morbosae affectionis evitare non potest; hic, ne talis demum haec fiat, sudorum non impatiens, a subitaneo corporis refrigerio, et frigidis a balneis, atque illis, quae cutis poros obturent, sibi caveat. Sub majori puritu, quies corporis, atque regimen, ut vocant, antiphlogisticum, conducunt. Si post subitaneam phlyctaenarum retrocessionem internae irritationis symptomata sequantur: in robustis interdum venesectio, ut plurimum vero balneum, quod

cutem reaperiat, tepidum, infusum sambuci cum oxymelle, ac similia indicantur.

In febrili hidroa, et in illo, quod nervosum est, remedia primario, unde pendent, morbo adaptanda sunt. Si crisin istius effecisse videantur; ab externis, nisi fatu emolliente si dolor urgeat, abstinentum est.

*Epinycidis* nos curam, experientia destituti, hic tradere abstinemus. Fortiorema interim, si nobis occurreret, phlyctaenae dolorem, tum anodino cataplasmate, tum opii externo, internoque ad noctem usu moderato, atque illis, quae nimiam in pelle irritationem sopirent, tractandum fore credemus.



## ORD. II. GEN. IV.

*PSORA.*

*Nominis ratio.* §. 432. **S**cabiem Latini nominarunt morbos sere omnes cutaneos, qui, ob majorem pruritum, ad scabendum invitarent aut cogerent infectos. Graecorum *psora* non minus vagam, ipsique *leprae* subinde concessam, significationem agnovit; sed quod a tam communi, tantisque impetigines comitante scalpendi pruritu derivationem non sumat; hoc nobis nomen ad morbum, de quo nunc sermo erit, designandum, praे illo scabiei, arridet.

*Definitio.*

§. 433. *Psora* vero impetiginis est species, quae, vel proprio, et contagioso a somite, vel potius ab *acaro*, humanae cuti infesto, contagii praemissi sub aspectu, sed sensim sensimque, et ex parte in partem, producta, in pustulis exiguis, miliaribus,

hinc illinc majoribus, solitariis, ad fundum duris ac rubellis, ad apicem pellucidis, albescenscentibus, excepta fere facie, ubique, — sed manuum inter digitos et ad carpos praeципue, conspicuis, super cute elevatis, voluptuose sub motu aestuque corporis, et ad noctem in primis, prurientibus, ac disrupta cuticula, crustosis, ulcerosis, in squamulas abeuntibus consistit.

§. 434. Impetiginum haud paucae (§. Diversitas 439.), extero quidem habitu, cum psori conveniunt, et confundi cum ista per facile queunt; sed, sicut origo, ita species hujus morbi videtur una; et quae pustularum, ab habitu nunc arido, nunc puriformi, in *siccans* et *humidam* suscepta est divisio: haec, licet illa, praे ista, magis pruriat; rem protinus eandem et modo forma diversam, scientiae sine fructu, bipartit. Cum aliis quidem psora affectibus hinc inde complicatur: et a scrophulis, scorbuto, a venereae, aut rheumaticae materiae, vel ab epidemicae constitutionis, plenitudinis cutaneae, aliorumque effectu, exasperari, mutari observatur; sed existis, modo *acarus* si desit, non illa, sed similis huic aspectu morbus, generatur. Quae

*crisis* hinc inde constituisse refertur psora; ea vel haec ipsa impetigo haud fuit; vel ab hominis infecti, aut rei ab eodem tractatae contactu, clandestine profecta est; vel ut quaevis alia cutis, non specifica, exulceratio aegrotanti conduxit. A febribus non raro, ut aliae impetigines, sic et psora, e cute disparer: vel quod morbi causa, *insectum*, aegrotante in solo incrementum viresque non habeat, et febricitantis superficiem, ut morituri caput hominis pediculi, mox deserat; vel quod stimulus a latente sub cuticula animalculo, ob totius laborem, non, ut sana in pelle, respondeat. Ut vero rebus inanimatis quibusvis, — sic et corpori aegrotantis, diutius haec insecta interdum adhaerere, — vix autem a succo animali sustentari videntur: quo tandem, sub restitutae valetudinis conditione, ut prius, et cum pristinae exulcerationis, et quasi *criseos* effectu, uberrime fruantur. De *psora epidemica*, observationes (non interim sine magna alterius impetiginis cum illa confusae suspicione), testantur; sed ut vermes intestinales, atque varia in campis insecta, hac sub anni constitutione longe melius, ac sub alia. sobolescunt: sic et *acarus exulcerans* non minori,

quam ista , privilegio gaudebit. Sub certis atmosphaerae constitutionibus , psora nou aliter *epidemice* grassari videtur ; quam quod pauperum familiae , a frigore vel pluviis in augustis tuguriis longo tempore in unum coacervatae , morbi somitem ab infectis facilius suscipiant . *Endemica* certe *psora* , in civitatibus populo refertis , in pistrinis , nosocomiis , orphanotrophiis , monasteriis , castris , novo somite vivente continuo infectis , dicenda est . Interim saepe alia est impetiginis , quae pro *psora endemica* declaratur , natura .

§. 435. Ad partes primum infectas , prima *symptomata* pustularum ( §. 433. ) rudimenta comparent , ac sensim sensimque propagantur in alias , et volumen acquirunt . Praecipuum in *psora* *symptoma* , crescens ad noctem , a calore , et a cibis acrioribus *pruritus* est : ex quo , pro varia pellis affectae sensibilitate , plenitudine , ac pro ipsa infecti hominis constitutione , aut sana , aut morbosa , diversa pustularum forma , exulceratio aut minor , aut major ac latius extensa , inquietudo nocturna ; anorexia , pallor , macies , ac interdum febricula , curaeque difficultas dependent . A frigore , et a quovis cutis spasmo ,

psora , nisi multa , sub ista nascondi vide-  
tur. Plures aliquando vicinae sibi pustulae  
inter se confluunt , ac satis amplum in cute  
ulcus , aut omnem fere pellem erosam , et  
erustis defoedatam ostendunt . Hoc a totius  
peripheriae affectu , transpiratio non parum  
cohabetur , ac licet pruritus ad recentes et  
exiguas modo pustulas longe major , quam  
ad amplas has plagas sentiatur ; latens tamen  
ad istas et sub crustis ichor , vix *acaris* , qui  
illinc modo resident , onustus , ut sanies quae-  
vis in cutem subjectam operatur : pars ejus  
resorpta cum sanguine miscetur , visceribus  
tandem et glandulis , nisi a sanis expulsa ,  
separata , insidias structura . Apud alias in  
toto fere corpore nascuntur parvi , rubicundi  
et rodentes furunculi : qui mox purulenta  
materia repleti , circa basin quasi circulo in-  
flammato cinguntur , ac sponte aperti , in la-  
tas , densasque crustas exsiccantur . Interim  
tempore sat longo *psora non nisi cutis solius*  
*aegritudinem et affectionem prorsus* , ut vocant ,  
*localem constituit* ; et quaecunque demum ero-  
sionis in ista indicia compareant ; vix tamen  
pellis celeriter de his quidquam cum internis  
participat . Sat lento scabies incipiens pro-  
gressus in multis agnoscit , ac interdum ,

extremitatibus per menses contenta videtur. In aliis celerior impetiginis istius expansio, ac citior pustularum in ulcera transitus est: quae, diutius nutrita, vel a psorae causa jam abacta, cum iisdem, quam ista, remedii persanari vix queunt. Non quaevis pellis ab eodem contactu, facilitate eadem a psora invaditur; sed neque pediculos fert quaevis caesaries; et ipsa contagia, ob rationem non minus obscuram, non quovis tempore in omnes agunt. Qui farinas tractant, aut inter equos ac in stabulis versantur, vel spirituosos liquores distillant, hi psorae minus subjecti videntur. Juvenilis aetas, teneraque cutis, huic morbo, qui pluries hominem eundem non raro invadit, prae aliis favent.

§. 436. Ex dictis (§. 433.), quae causa causae. psoram inducat, jam satis elucet. Haec vulgo prius, quam ipsis innotuit medicis, et ex amplissima *acarorum* familia descendit. Distinctus scilicet ab illis, qui farinam caseumque inhabitant, *acarus humanus*, aut *acarus exulcerans*, non maturas ac pure jam plenas vesiculas, sed pustulas vix cutem egressas, limpidoque sero recenter impletas inhabitat, ac epidermide tectus, ad vicinas

sub hac ipsa partes, quasi per fodinam, muscularum, striarumque rubrarum, filiformium aspectu detegendam, divagatur. Incognitum hoc extra corporis humani confines insectum, in aliis, quam psorae, vesiculis nequaquam reperiendum, nec fortuito hic nascitur, nec eandem, quam forte larvae muscarum in ulcere neglecto ac vetusto, originem agnoscit; sed ab aegrotante, aut re quavis ab isto infecta, in sanos transfertur, et pustulas, quas inhabitat, *fecisse* credendum est. A calore externo, interno, pruritus augetur; a frigore, cum immunita insecti agitatione, hic idem imminuitur, febrisque ipsa saepe pustulas exsiccat. Ab immundis difficilius, facilis ab illis, qui puritati magis student, haec viva morbi causa, quod cum *contagio* non liceret, a cute avertitur. *Phtiriasis* vero historia hanc ultro confirmat de *acaris* theoriam. Hic de *contagio*, ut pruritus, pustularum, ulcerumque causa, cum *pediculum humanum*, aut *pubis*, sub cuticula detegimus, a nemine cogitatur: cur de *acari* in *psora* mox ab istius principio non minori domicili jure habitantis, ac hanc ipsam *praecedentis* potentia aequali dubitemus, vix ratio superesse videtur. Celeritate aequali tum *pediculus* uterque, tum

acarus, cum interna vix curent, ab *externis*, ejusdem fere indolis remediis, extemplo, et actione longinqua, enecantur; ac psora, quo citius, eo facilius, aufertur: felices, qui talia, tamque multa, tam certa, pro *unico contagio* possiderent antidota, Mortales! A psora, ut vocant, *retropressa*, non pauca certe mala derivantur; sed praeterquod saepius *effectum*, cum morbi *causa*, a medicis confundi, nimis constet; non specificum ad psorae vetustae, aut complicatae, celerius aut incaute sanatae, noxas explicandas, requiritur contagium; nec ipsa, quae pediculi ad caput produxerunt, ulcera, si diutius jam fluxerint, — nec innocens, cui, sani licet, *jam assuevimus*, fonticulus, sine damno ubique, celerius exsiccantur. De psorae, quam *criticam* appellant, fallaciis jam supra (§. 434.) mentionem injecimus. Quae *sartoribus*, quam aliis opificibus, communior esse dicuntur, et ex *lanae* infectae contactu derivatur, psora, ea vel aliam impetiginem symptomaticam (§. 440.) constituit; vel ex *vestibus* laceratis, quas renovant atque consuunt, *jam infectis*, non ex lana, originem agnoscit.

Prognosis.

§. 437. A psora , nisi cum aliis affectibus complicata , aut diutius neglecta , aut hoc tandem sub statu incaute suppressa , periculum haud imminet . Difficultas curationis apud pauperes , in nosodochiis , aut in castris , a necessariae puritatis defectu , et continua cum infectis societate , derivetur oportet . Exempla psorae , quae *sponite* in totum disparuerit , per pauca habentur ; sed licet haec existant , si *contagium* aliquando sic deleri dicamus , cur *acaros* ob causas ignotas aliquando disparere , aut in pelle mutationem , quae istorum actioni resistat , contingere , negemus , ratio non apparet . Post psoram longiorem , interdum abscessus , glandularum , viscerumque infarctus succedunt : quae singula non tam ex specifica morbi causa , quam ex ichore , diutius , vel copiosius resorpto , vel ex vitio alterius naturae in corpore praeexistente , ac per psorae stimulum evoluto , derivanda esse censemus . Interdum alios psora dissipavit effectus morbosos , et eosdem suo stimulo ad cutem invitando , visceribus imunitatem restituit . Interdum morbos alios , cum psora his accedit , quamplurimum exasperat haec ipsa .

§. 438. Primum certe curationis momen- Cura.  
tum in vera hujus morbi diagnosi consistit. Si psora (vel a *contagio specifico*, vel ab *acaris* haec pendeat) est *recens*; ad externorum mox usum, cum interna nil possint, sine temporis jactura recurrendum est. Si hominem infirmum ac alio affectu detentum haec impetigo corripuerit: tunc videndum est, an per stimulum et ulcus superficiale tam late a psora in cute excitatum, natu prior affectio emolumentum habuerit? et antequam hic psorae medeamur; artificialis in cute exulceratio, quae illius virtutem suppleat, excitanda est. Si per longam jam moram a psora cutis male affecta est, et aegrotus cum hac, morbosa licet, excretione habitudinem contraxisse videtur: tunc lentior et cautior morbi cura esse debet; ac iterum artificialis fontem, quae internis minarentur, mala, ab istis derivanda sunt. Si cum alia impetigine, interno forte ex vitio pendente, psora complicetur: tunc illi per interna occurrendum, et istius per externa, sanatio differenda est. Sub eorum vero, quae ad psoram simplicem conducunt, usu, non alia, quam ea, quae sanum in aliis hominem decet, vivendi ratio requiritur; nec ulla, quae,

si balnea rerumque infectarum depositionem excipiamus, ad curam praeparent, vel psorae retrocessionem impedian, indicantur auxilia.

Insignis eorum, quae ad psoram laudentur, est numerus; sed, praeter summam munditatem, pauca in malo si: plici sufficient, interque ea, *sulphur* et *mercurius* preferri merentur. Primum igitur totius corporis superficies ope balnei vel communis, vel sapone remisti, ab immundicie ichorosa et a crustis depuranda, aut probe saltem cum spongia ablueda, et ad istas, donec decidant, foveanda est. Nil juvat, prius, quam adhibitis per aliquot jam dies remedii, apud pauperes, quibus copia vestimentorum non est, tum haec, tum linteal mutare; quod tamen post tres, quatuorve frictiones necessario suscipitur. Sic et omne cum infectis commercium, rerumque ab istis tractatarum usus fugiantur oportet. Sub cutis plenitudine majori, ac ardore, pruritu ex eodem insigni, scarificatio praemissa conducit.

Ipsum vero *sulphur*, tum vaporis, tum balnei, tum unguenti sub forma, aequali cum successu adhibetur. Non parva interim ab hoc ultimo, ex foetore, et maculis ad linteal relictis incommoda sunt. Vapor sulphuris

sub ipso psorae principio, et cum pustulae exiguae ad partem comparent, cum debita cautela, aliquoties in die adhibitus, ulteriore. rem hujus morbi progressum praescindit. Pauperiorum vestimenta ac linteal in aere aperto hoc fumo impraegnata ac furno de. mum calidiori commissa, egregie purgantur. Sub thermarum sulphurearum defectu, vel hepatis sulphuris ad uncias fere duas, — vel calcis aequae ac sulphuris libra una, in aquae fluviatilis mensuris septem vel octo decocta, pro balneo, adhibentur. Unguentum ex pul. vere florum sulphuris uncia una cum axun. giae recentis quantitate sufficiente, vel si pinguis cuti non conducat materia, cum ovi vitello, praeparatur. Sunt, qui huic unguen. to salis ammoniaci, vel hellebori albi drach. mam unam aut alteram adjiciant; sed in mul. tis ab usu istorum in cute irritatio excitatur, ac solum jam sulphur bene tritum hic suffi. cit, si pars quarta, aut minor unguenti, prope ignem, quotidie ad noctem, nunc digitorum interstitiis, nunc carpo, nunc alias ad partes, illinitur. Tanta vero est sulphuris in viventem psorae causam potentia: ut cor. poris vel unam modo partem cum eodem frequentius unxisse, jam sufficiat. Hinc ma-

gnam sibi famam unguentum ( N. L. ), quod soli manus volae, ad nucis avellanae magnitudinem , affictum , non parvo certe commodo , jam scabiem non raro dispergit , acquisivit . Vix interim nisi sulphur hic agere , ac vanae laudes , quod hoc unguentum psoram et expellat , et dissipet , nobis esse videntur .

*Mercurius* , sub quavis demum forma , aut cum adipe remistus , aut , salis sub specie , in aqua solutus , in psorae causam , exterius admotus , cum aequali , ac sulphur , nisi forsitan majori , potentia operatur . Internius , ad ipsam licet salivationem usque , porrecto huic remedio , psorae ( si modo haec , et non alia impetigo , subsuerit ) , causa reluctari est visa ; sed pauca hidrargyri portio exterius admota , uti *pediculos* , tum capititis , tum pubis , sic et *acaros* in psora , veneni adinstar , mox trucidat . Ad meliora praeparata *unguentum album* ( NXLVI. ) omnino pertinet : quod ad fabae , vel avellanae magnitudinem quotidie ad loca indicata illinitur ; ac , salivationis sine metu , vel psora jam disparente ( quod de aliis quoque auxiliis retinendum est ) per quasdam adhuc dies subministrari oportet . Non absimiles et unguentum

guentum *citrinum* ( N. XX. ), et solutio mercurialis vel simplex ( N. LI. ), vel *purgadauenica* ( N. LII. ) cum qua partes infectae semel, aut bis quotidie laventur, in psoram effectus exercent.

Sed praeter sulphur ac mercurium, quamplurima, cum successu interim non semper aequali, contra psoram adhibentur. Huc in primis pertinent decoctum vel succus tabaci nicotianae, balneum ex reliquiis a distillatione spiritus frumenti, aqua vegeto mineralis, aqua maris, lixivium, decoctum rumicis acuti, inulae helenii, cum unguento ex eadem radice ac butyro parato, et alia; a quibus tamen, ut magis incertis, melioribus instruti, lubenter abstinemns. Observandum vero hic est, quod unguentorum sulphureorum sub usu interdum novae ad cutem pustulae, quae ad psoram non pertinent, sed ab ipso unguento nascuntur, prorumpant. Has, unguento suspenso, balneum ex tepida dispellit. Interim non mox a psora exsiccata, medicamenta cito nimis seponenda, sed aliquamdiu post illam continuanda, — aut, si ex morbi semine ad cutem non integre destructo nova series pustularum efflorescat, resumenda sunt.

Si hominem , ut vocant, cachecticum , aut vitio quocunque alio laborantem , *psora recens* invaserit: non ideo in istius , ut quae *critica* non est , curatione cunctandum , ac summa malorum in eodem augenda est. Ali- ter se res habebit, si alia impetigo , psorae aspectu modo similis , sed indolis diversae ( §§. 439. 440. ), — aut si haec ipsa jam diutius in cute haerens , fonticuli aut ulceris artificialis quasi vices cum emolumento ae- groti assumpserit; — aut si ipsius psorae stimulus , forte latens in corpore vitium scrophulosum , aut aliud , excitaverit: quo in casu , ut monuimus , vel symptomatica af- fectio cum remediis internis corrigenda , — vel psorae ipsius effectus non specificus , sed fortuitus , per artificialem exulcerationem , ac interdum per auctas alibi secretiones , supplendus est . Similia de ea , quae sanum alias hominem diurno jam tempore affli- xit , psorā dicenda suot: ut quae , materiae suae , non ut specificae , sed ut ichorosae , ex pelle continuo resorptae , actione internis simul obest , ac simul , suscepto jam habitu- dinis jugo , ad illam drepente sanari sine damno non potest , quin praedictas sibi cu- rationis cautelas exposcat .

Ex his vero artis praeceptis aut non satis observatis, aut prorsus neglectis, non pauciora, nec minus, ac ab impetiginum aliarum incauta tractatione, lethalia incommoda propullulant: quibus iterum ad regulas jam satis alibi (§§. 290. 326.) expositas occurrendum est. Cum vero morbi a psora male tractata et praepostere exsiccata oriundi, non ex ipsa psorae causa *specifica* ad interiora repercussa, sed ex repentina ichoris, habitudinis ad leges fluentis, suppressione nascentur: hinc nulla est ratio, cur *psoram*, foeditate, ac transitu in alios tam facili infamem, per *inquisitionem* aegrotanti communiceamus; sed illa certe, quae sub exanthematum, impetiginumque aliarum infausta dissipatione commendavimus, sufficient.





## ORD. II. GEN. V.

*PSYDRACIA.*

Definitio

§. 439. *Psydraciae* sub nomine, diversae apud Graecos affectiones cutaneae veniebant. Nos eodem pro significandis variae originis pustulis, psorae (§. 433.), modo habitu externo, vix non similibus (§. 434.), contagio plerumque parentibus, solitariis, ad basin rubris ac duris, in apice pellucidis, serosis, albescientibus, prurientibus, utemur.

Diversitas.

§. 440. Numerosa, et distinctu difficilis hujus impetiginis familia est.

Nunc etenim non modo, communi psydraciis sorte, cum psora quoad formam conveniunt; sed a causis etiam viventibus, mox acri, quem vulnuseculo inflicto instillant, succo, — mox ovulis, quae huc deponunt, —

mox stimulo mechanico , tum plantis , tum animalibus summopere infensis , ad partes nudas , teneriores oriuntur : ut scilicet pustulae pruriens , ardentes , quas *culex* , tum *pipiens* , tum *reptans* , quas *pulex penetrans* , tropicorum incola , vel et *cimex lectularius* , ac alia , non satis nota calidarum humidarumque regionum insecta inducunt ; et quae pustulae , dum , scabendo irritatae , sat largos primum ac elevatos tumores praesentant , — post paucas modo dies in papulas vix a psora distinguendas mutantur .

Nunc acre *venereum* in cute psoram ae *P. venerea* mulatur , ac pustulas non tam pruriens , quam , noctis potissimum tempore , dolentes , universo in corpore , nec facie quidem excepta , producit .

Alias *hypochondriacis* solempne est pruri- *P. hypochond.* tum in cute , et maculas , et pustulas , a scabie vix abludentes , cum coeterorum symptomatum levamine , experiri .

Sed interdum post febres , sub morbo- *P. critica.* rum chronicorum decursu , similia cum insigni aegrotantis emolumento contingunt : quae *psorae criticae* ideam frequenter dederunt .

P. scorbatica.

In *scorbuto*, apud illos, qui carceribus, aut navibus angustis detinentur, aut in locis uliginosis, impuris, vitam ducunt, ad cutem pustulae oriuntur, quae, etsi psorae figuram ac pruritum habentes, non tamen a methodo in psora laudata superantur.

P. period.

Interdum *periodice* ad pellem pustulae comparent: quae, sub imagine psorae, apud illas, quibus menstrua sistuntur, istorum quasi vices ac decursum absolvunt.

P. Artificum.

Qui lanas impuras rancidoque oleo imbutas, *textores*, *sartores*, tractant; hi ad manus digitosque, — vel ad corpus universum, abdominali, aut scorbutico, aut alio ex vito, impetiginem a *psora* diversam patiuntur (§. 436.).

P. ab immund.

A cutis *immundicie*, et apud illos, qui linteal ob miseriorem conditionem cum aliis mutare non queunt, nec minus ab uigentis acriori cum oleo paratis, non raro pustulae, quae psoram fere referunt, ad cutem efflorescunt.

P. Infant.

*Infantes* non raro, vel a primis jam mensibus, vel dentitionis sub opere, universum per corpus, nec facie quidem excepta, a pustulis prurientibus, ac psorae aspectu, non indole similibus obtieguntur.

Juvenibus , pubertatis sub principio , p. plethor. plethoricis , aut cursu luctaque exercitatis , — puellis , quibus menstrua aut instant , aut fluere recusant , rubentes saepe pustulae ad cutem , ac in primis ad faciem , erumpunt .

Qui Venere abutuntur , hos ad cutem p. Neogamor. subinde quasi psorae effectus ac pustulas experiri ex observationibus constat .

In senibus interdum , ut herpes (§. 423.) , sic p. senilis. et psorae simillima impetigo observatur : quae , remediis plerumque rebellis , ad mortem usque sub immani cruciatu continuat , atque indolem longissime a psora distantem manifestat .

In thermis forte calidioribus , ad omnem p. thermalis. superficiem pruritum ac pustulas , quae psoram inexpertis referre videbantur , vel in illis adeo , quibus nulla cutis vitia praeverant , frequenter conspeximus .

Nec tam rarum est , apud homines , vel scrophulis , vel rheumate , vel alio demum acri laborantes , similia in cute , vel ad certas modo partes , quasi vitio locali , vel ubique , ut in hypochondriacis , melan-cholicisque aegrotis , contingere .

Causae.

§. 441. Vel ex sola jam specierum *psydraciae* ( §. 440. ) expositione, diversa illarum, tum a *psora*, tum inter se ipsas, natura ac origo intelligitur; ac plurimae ex illis, quas omnes hic adducere vix licet, aliorum potius morborum *symptoma*, quam morbum *primarium* constituunt. Neglectum interim causarum, quae talia in cute producunt ( §§. 273. — 276. 373. ), studium, ac affectuum, qui, vel internorum, vel istius ex vitio, ad corporis superficiem se produnt, non observata distinctio, fecerunt, ut saepius pro *psora* habereantur, et cum exteris sine quovis respectu tractarentur impetigines, quae, fontem *internum* agnoscentes, non potuerunt non a tanto Medicorum errore frequenter exacerbari, repelliri; et quae methodum ad ploram propositam ( §. 438. ), tam male sibi ipsis adhibitam, toties infamem reddiderunt.


Prognosis.

§. 442. Morborum, ex quibus suam trahunt originem, *psydraciae symptomaticae* sequuntur prognosin. Pauciores illae, quae ex primaria cutis affectione oriuntur, vix periculum agnoscunt. Quae interim pellem

a multo jam tempore defoedavit, psydracia; haec, remediis externis derepente suppressa, sanitatem periculosa subvertit. Ex omnibus fere pejor est quae exsucca senum corpora consumit.

§. 443. Pro tam diversis origine malis *cura*. (§. 441.), non una, sed multiplex mendici est ratio. Quae causam internam non agnoscit, et modo *localēm* in pelle affectionem constituit psydracia: haec externis solum tractanda est auxiliis, et pro originis differentia, sibi alia, aliaque exposcit. Molestos insectorum ausus, tum Africae, tum Americae meridionalis populi avertunt igne per nemora ac domos accenso, fumoque tabaci, nec minus oleo, succisque plantarum diversis, quibus corpora quotidie inungunt. Praesentem ab ictu insecti dolorem, extracto vesparum apumque aculeo, cum aceto, limonum succo, oleo, linimento volatili, theriaca, impositis moderamur. *Penetrantem culicem* (§. 440.), sub tropicis, cum acu solicite effodiunt, ac cineres tabaci ulceribus inspergunt. Quas cutis impuritas induxit psydracias: has balnea tepida, cum sapone,

vel hepate sulphuris remista dispellunt. Psydraciae *symptomaticae*, ut venereae, scorbuticae, etc. ex aliis hujus operis locis repetenda est cura.



## ORD. II. GEN. VI.

### TINEA.



§. 444. **H**erpeti (§. 420.) affinis fere, sed ad partem capitis capillatam, vel ad faciem defixus, ac aetati infantili magis proprius est morbus, quem Veteres, achorum, favorum, ulcerum capitum manantium, — posteriora vero tempora, lactuminis, crustae lacteae, scabiei, leprae capitis, ac tineae, magis barbaro adhuc, nomine salutarunt. Nominum diversitas

§. 445. Interim hoc ultimum, seu *tineae*, civitate jam potius nomen pro impetigine retinemus: quae in ulcusculis prurientibus, serpentibus aut capitis, aut faciei, humorem viscidum, copiosum ac foetidum, in coagulum fere melleum properantem, fundentibus, mox crusta friabili, granosa ac molli, mox

Definitio.

duro, crassiore, cinereo quasi cortice, obductis, consistit.

Divisio.

§. 446. Capillatae partis ad caput affectio, tenuissimis foraminibus cutem perforans, unde glutinosus humor excernitur, *achor* Graecis dicebatur.

Achores.

*Favus* autem vocabatur simile fere *achores* vitium: cum foramina meatuum, unde humor manabat, majora, *apum favis* responderebant.

Tinea.

*Tineam* adesse docebant, cum sanies ex cute cranii capillata exstillans, ad pilorum radices, in crustas friabiles, aut tenaces, ac albas coiret.

Crusta lactea  
s. tinea faciei.

Si, qua ubera sugunt pueri, aetate, ad genas istorum prius calentes, rubentes, splendentes, vesiculae nascerentur pruriens, ac flavae, quibus disruptis ichor effluens in crustas friabiles, ex flavo luteas, cum pruritu ac dolore cogeretur: *lactum*, *crustam lacteam* appellant.

Tinea maligna.

Rebellem magis *tineam*, et quae ad os sis usque substantiam descenderet, cariem que excitaret, *malignam*, — quae plurimum ichoris effunderet, *humidam*, et quae duras ac fere saxeas modo crustas offerret, hanc

Humida.

*siccans* nominarunt. Non interim tam diversa.  
sa mali, quam nominum natura est; ac sede  
magis, aut aspectu, atque gradu, quam in-  
dolis ratione, in illo nascitur differentia.

+

§. 447. Qui achoribus aut favis subjiciuntur pueri, his pruritus inter capillos molestus, cutis tensio et ardor, vel et porrigo, praecedit; nec rarum est, glandulas lymphaticas circa collum et occiput his tumere, ac tensionem, dolorem ab attactu, inferre. A-pud alios cephalalgia hos affectus annunciat. Augetur jam pruritus et scabendi necessitas: quo sub opere a dígito aegrotantis aut *tumor latus*, calescens ac tensus, aut *papula*, seu *pustula* inter capillos percipitur. In illo, vix ulcus, sed dilatati quasi canaliculi, seu ductus folliculosi ostiolum, ex quo humor glutinosus lente distillat, conspicitur; in ista, quae tuberculum super cute elevatum, circumscriptum, folliculosum, pisiforme, vel conicum, ad basin satis durum, cum apice molliore, albescente constituit, liquor albidus, flavescentis continetur: quem foramine ampliori, aut exeso, aut exilibus, subrotundis excrescentiis obsesso, inaequali, foetentem, ac pigrum eructat. Hic ichor vicinos inter

Symptomata.

Achor. fav.

capillos effusus, impura quasi palude eosdem inundat; mox ab aeris attactu coagulatur, ac pilos, quos amplectitur, conglutinans, mox tubera crustosa, exterius squamosa et sicca, interius molliora, granosa, quasi cerea, putrescente materia repleta, ac securum fertilissimumque pediculorum nidum efformat.

Tineae.

Si plures ac sibi vicinae, aut confluentes forte pustulae capillitium defoedent: tunc uberiori ex fonte distillans ichor vicinas plaga sub tecto crustoso abscondit, aut, picis liquefactae super cranio effusae adinstar, quia late patet, capillatam, et frontis adeo vicini regionem obducit; ichoris unda, quae sequitur, primam, jam solidescensem, — secundam, tertia, repellit, findit, ichore novo fissionem replet, incrustat, ac singula in durum, squamosum, interjecta capillorum substantia horridum, crassumque coperculum compingit. Interea latens sub isto sanies subjectam pellem aggreditur, capillorum radices hinc inde effodit; vix tamen bulbos istorum, sed cellulosam magis telam vicinam erodit, consumit, ac, si forie virus venereum accedat, sub dolore atroci, nocturno, vel i sis calvariae ossibus perniciem minatur. Hinc major hoc sub vitio inquietudo, ac

pendens ab ista nutritionis defectus maciesque, — apud alios, vix magna salutis laesae symptomata occurunt. Interdum locum vix tinea mutat; sed in situ eodem aut sicca, aut humida, vix aucta, persistit, seceduntque pili, quos alba in quibusdam lanugo restituit.

*Tinea faciei*, seu, ut male satis vocant, *Tinea faciei*.  
*crusta lactea*, in pueris sextum vix aetatis mensem adeptis, vel ultra annum haud natis, — interdum, licet raro, et tardius, occurrit. Infantes haec affectio prehendit, qui, *dentitionis* sub opere versantes, albidiiori, subrotunda, ac pingui simul facie, genisque profunde, aut ex flavo rubris instruuntur; qui scrophulosis ex parentibus descendunt; qui lautius et lacte crassiori nutriuntur. Ut plurimum ad genas, non raro ad frontem, species haec tineae principium sumit, et sese calore, rubore, splendore, ac partis pruritu manifestat. Mox pustulae, parvaeque, nunc latae, nunc acutae vesiculae, liquore pellucido, ex albo flavescente replete, efflorescunt. Hae, vel sponte, vel, scabendo disruptae, tenacem, flavum, et in crustas ex luteo subrubras, friabiles abiturum liquorem effundunt. Interea novus mox ichor primo succedit: qui

mollem fissumque jam corticem penetrans, ac per loca declivia decurrentes, haec ipsa obducit, ex alio propinquae pustulae impuro somite augmentum sumit, et in larvam, hinc flavam, obscuram illinc, densumque in corticem mutatus, modo genas ac mentum, modo faciem, exceptis oculis, universam, sub insigni infantis pruritu, inquietudine, ac non sine corporis pendente ex istis macie, defoedat. Nec tamen palpebris ubique parcit hic morbus; aut ad partes longe alias, ad aures, ad artus, vel ad truncum non divertitur: quin ideo vel minimam aut in facie aut alibi cicatricem relinquat. Cum aliqua *periodo*, tum eruptio, tum exsiccatio pustularum in multis contingit, atque tot fere dies ad primum, quam ad secundum hoc opus consumuntur. Eruptionis sub stadio, vegetior ac hilarior puer esse, — cum pustulae siccantur, languere, observatur. Eundem infantem *bis* haec ipsa affectio tenuisse observata est; sed tandem, sub urinis, ut felis illae, foetentibus, copiosis, sponte, licet tardius, disparet.

perspicimus. Nec etenim parentum, nutrimentum hic vitia vel ubique praecurrunt; vel tam certe prolis sanguinem, ut vulgus credit, inficiunt. Nec in ipso hoc vitae exordio, sub victu tam simplici, ac mente a pathemate fortiori tam libera, humorum tanta, ac volunt, acredo supponitur prudenter. Contagia in tinea tum capitis, tum faciei, si venereum illius aliquando originem excipiamus, non firmo satis argumento nituntur. Accedit, quod tinea faciei, dentitionis vix absoluto negotio, vel sponte dispareat; quod illa capitis, modo paucis adultis pubertatis a tempore, nisi lue venerea detentis, adhaeret; et quod tinea communis externis, plerumque sine damno, remediis, quod interna vix unquam possunt, tollatur auxiliis. Veteres, ut ubique, sic et in achorum favorumque explicatione, ad *bilem*, — Recentiores, ad *mucosos*, *acidos*, *acrescentes humores*, pro more saeculi consugerunt; sed quo subtilius his in rebus rationari, — eo minus ad lectulum fecisse videbantur: ut tandem ipsis a medicis, difficultatum curandae tineae pertaesis, hic labor vetulis ac empyricis hominibus committi debuerit. Istorum ausibus instructi, non pauci morbum, de quo agi-

mus, non ex fluidis, ut pridem, sed solius corii capillati ex vitio locali, curationis externae melioris successu suffulti, derivarunt.

Jam solus hic experientiae sermo, seu rerum eventus pristinae loquacitatem theoriae abunde refellit; sed cur demum vix gremio emissus puer tot morbis ad caput in primis laboret, et cur tinea tum istius, tum faciei, ad certos fere vitae humanae annos limitetur: hoc, sicut obscurum, ita perscrutatione medentis indignum non est. Major capitinis neonati ad corpus coeterum proportio, vasorum cerebri, calvariae totius, majora lumina, hanc supremam hominis partem prae aliis eo celerius, quo vicinior est ortui, nutriti, ac humorum quantitate uberiori perfundi, demonstrant. Hanc naturalem capitinis plenitudinem in prole jam utero exclusa saepe augent tum velamenta, quibus illud obruitur calidiora, tum fasciae, quibus pueri corpusculum et artus tam stricte involvunt, ac alia circulationi humorum per ista, opposita obstacula. Accedit magna parvolorum multorum voracitas, ac lactis uberioris et nutriente principio ditioris sat felix digestio: quae specialem vasorum capitinis repleat.

tionem in multis augere, ac ad morbos exista, praedisponere valebunt. Quo vero tempore dentitionis ingruunt molestiae, nemo est, qui ex capitis calore aucto, ex rubore genarum, ex saliva ac muci uberioris efflu-xu, ad majorem hac in parte irritationem, et humorum ex ista pendentem derivationem concludere recuset. Quid vel sola partium sensibilitas adacta in producendis ad cutem morbosis secretionibus valeat, jam satis evicimus ( §§. 228. 274. 276. 359. 373. 386. 394. ) ; ac illa, cum indicata jam vasorum capitis repletione, istorum vires excedente, tum frequentes encephali sub aetate infantili hydrops, tum innumeros aurium, oculorum, oris nariumque affectus, tum denique singulare in systematis lymphatici hac in parte irritationem, ac secretionis in cute, tum capillata, tum ipsius faciei, vitia, ad certam modo aetatem restricta, non parum illustrat.

Interim non unam ideo ac eandem semper istorum originem subesse dicamus ! Venereae, quae adultos, vel et ipsos infantes divexat, tineae exempla, — causarum, quae porriginem inducunt ( §. 416. ), auctoritas, — pediculorum noti effectus, materiae morbosae facta ad caput metastasis, — scrophulosa

haereditaria dispositio , diversam impetigis  
nis , de qua agimus , scaturiginem abunde  
demonstrant ; sed hoc unum , communem  
scilicet tineae tum capitis , tum faciei , causam  
plerumque non internam , sed universo nunc  
capiti , nunc corio capillato , nunc dentium  
viciniis fere propriam ac *localem* esse , ex  
dictis eruimus . Quae ex retrópressis , ut  
ajunt , vel proficuis forte alio sub morbo  
tineis , ad comprobandam causae illarum *in-  
ternam* originem afferuntur , exempla ; ea non  
aliam plerumque , ac de psora vetusta , vel  
complicata , praepostere topicis remediis ex-  
siccata attulimus ( §. 436. ) , explicationem  
admittunt , ac fallaci nimis argumento super-  
struuntur . Forsitan haud aliter sensiliores ,  
pinguesve infantes ac pueri , qui lautius nu-  
triuntur , ad caput , lymphaticum , concrescen-  
tem ichorem , — quam arbores juniores solo  
fertiili commissi ad corticem sua *gummata* ,  
plorant ; et accedens his succi nutritii divi-  
tiis , dentitionis ab opere , irritatio , in teneris  
fusionibus ad faciem vesiculos crustasve ,  
— in pueris sub immundicie , pedicularum  
inter capillos stimulo , nisi narium haemor-  
rhagiae , coryza , aliique fluxus , aut citius  
forte corporis incrementum , materiam diver-

tant, achores, favosque producit. Si pauperum non minus, quam divitum progeniem hi morbi invadant; cogitetur oportet, ex pane secalino non pauciorem, quam ex tritico nutrientis copiam materiae a sanis hauriri; nec egestas parentum, quod sibi, — hoc parvulis dilectis, miseriarum ac laborum adhucdum ignaris, detrahere conspescit. Lac igitur nutricis adultae vel crassum, copiosius ingurgitatum, si a pueri sugentis ventriculo supereretur; non ob viscidum, aut acidum, quem sanguini abhinc induci contendunt, mucum, — sed ob nutrientis, quo abundant, principii exuberantiam, ad crustam, quam lacteam appellant, infantem disponere dicendum est. Urinae, hujus morbi sub fine excretae foetor nec ubique se manifestat; nec magis de mali causa per has vias ejecta, quam de turbarum praegressarum effectu testimonium largitur; ac in genere tum sudorum, tum urinae, ut alterius, morborum sub fine secedentis materiae vel odor, vel alia conditio, de morborum causis sat aequum ferri non sinit judicium ( §. 7. ).

§. 449. Ad secundam valetudinem puerorum, capititis impetigines plerumque contri-

Prognosis.

buere, opinio est vulgi. Nec vulgus tam  
 saepe, ac medici opinantur, de morborum  
 successibus judicando, a vero aberrat. Non  
 quidem in eo, qui sinus est, ut sic esse  
 continuet, requiritur morbus; sed talis est  
*multorum* infantum voracium, succipenorū  
 conditio ac vitae modus: ut a nutrientis prin-  
 cipiis *shpia*, nisi corporis incremento sat ra-  
 pidus, vel aurium, vel narium alisque fluxu  
 dissipetur interdum; cellularis tela omnis  
 subcutanea, in primis ad collum ac faciem  
 mire turget, et succis, a vero adipe distin-  
 ctis, infarcta, cruoris motui per laxa vascula  
 potenter resistat; aut data quavis occasione,  
 vel sponte, contentos humores, ac humana  
 quasi gummata regurgitet. Quod si talia con-  
 tingant: mox major in pueris hilaritas, ac  
 functionum oppressarum libertas observatur;  
 quae singula, dum salutari huic exuberantis  
 principiis nutrientis stillicidio per artem, vel  
 repente nimis, vel sine quovis ad causam  
 respectu, resistitur; cum damno — non ob  
 retentam, quae corrupta sit, materiam, sed  
 ob luxuriantem, quae consumi omnis a cor-  
 pusculo sat cito non posset, nutrientem ma-  
 teriam, languebunt. Si aliam et complicataam  
 magis originem, ut venercam, metastaticam etc.

haec impetigo agnoscat; tunc utique, sicut topica remedia non sufficiunt: ita, donec ipsa morbi causa superetur, periculosus eorum usus esse potest. Sed vel communissima, simplexque tinea, si diutius persistat, ob continuos pruritus, ob vigilias, inquietudines protractas, interdum vero ob nimiam succi nutritii per larga haec ulcera jacturam, debilitatem ac maciem, vel et lentam febriculam inducit; qui tamen ipsi effectus, licet aperte morbosi, ob contractam jam forte habitudinem, sine damno derepente auferri non queunt; vel, si hoc ipsum tentetur: tum asthmata, hydropses, tum viscerum glandularum infarctus, suppurationes, metastases, coecitates, ac tabem ipsam, relinquunt.

§. 450. Hinc primis hujus morbi signis Cura. occurri, causasque illius latentes investigari oportet. Si venereae, scrophulosae, aut alterius symptomaticae affectionis indicia compareant: ad primarii curationem morbi veniendum est. Si ex lactis crassioris, voracitatis ac plenitudinis effectu haec vitia oriuntur: tunc ubera mutanda, lactis copia gradatim restringenda, transpiratio promovenda sunt.

Tineae cap.

Quibus caput ab ulceribus manantibus, aut a tinea affectum est: his primum, victus moderatus, corporis exercitium, ac summa capitis mundities imperanda, capilli, quin frigus repentinum noceat, rescindendi, radendi, ac pediculi, si abundant, cum axungia, vel sapone molli ac albo, cui olei distillati, vel anisi, vel lavendulae guttae aliquot adduntur, — cum butyro, seminibus apii petrosellini, in formam unguenti, remisto, — aut cum semine sabadillae, cucuphâ, quae caput arcte circumdet, recepto, per noctem aliquoties impositis necandi sunt. Jam vero crustae, quae curam ulceris manantis impediunt, emolliri, ac, ut decidant, praeparandae sunt. Favorum achorumque illae, difficultatem non afferunt; sed vel praedictis unguentis, vel decoctis emollientibus jam cedunt. Ast crustas tineae rebellis fere saxeas ac profundas, unguenta sola vix penetrant; et pars exterior ac durior illarum cum novacula caute radenda, auferenda est. His praestitis, cataplasma ( N. LIII. ) molle, ac tepidum continuo imponimus, et quotidie, donec omnes fere crustae deciderint, renovamus. Alii, solutione mercurii sublimati, cum pane in cataplasmatis formam redacta, —

alii, arcano quondam, ex bufonibus calcinatis pulvere, hoc scopo utuntur: quorum primum, glutinosum nimis, — alterum, nullius virtutis esse remedium, experientia aliorum testatur.

Patentia nunc ulcera cum urina recenti ac sana quotidie lavantur, ac mox unguento populeo, vel unguento *albo* (N. XLVI.), aut *rubro* (N. XLIII.), aut demum citrino (N. XX.) mercuriali, obtecta, tali methodo simplicissima ad sanationem perducuntur. Aliis, solutio phagadaenica (N. LII.), aut simplex mercurialis (N. LI.), vel decoctum tabaci, rebelle ulcus depurat. Si dura quedam loca his auxiliis domari non possint: haec ipsa, vel unguento simplici, cui octava pars pulveris cantharidum remista sit, vel caustico interdum remedio, ut butyro antimoni, cum aequali spiritus sulphuris portione, vel et lipide infernali prudenter tangenda, et mox carptis filamentis, quibus butyrum simplex illitum sit, obtegenda, — cum vero eschara deciderit, cum unguento Egyptiaco, vel mercuriali albo, vel rubro, depuranda, ac tandem ad cicatricem perducenda sunt. Totius ulceris exsiccationem aqua saturni, vel calcis tandem sine damno coadjuvat.

Non tamen omnis sic tinea sine crudeli pilorum evulsione ad finem constantem perducitur; ac in casu mali pertinacioris, ad hoc demum recurrendum est subsidium. Si paucas modo capitum plegas occupat tinea: tunc volsella capillis prope radices apposita, hi ipsi cum bulbis extrahendi sunt. Si nimis extensa est affectio: tunc ex pice alba, ad ignem liquefacta, cum pauxillo farinae secalinae, ac olei olivarum, emplastrum paratur: quod linteis, digito vix latioribus, sat longis, hinc pluribus, commissum, ac leviter calefactum, tineae, resectis prius capillis, imponitur, et post horam sine impetu, ac lente, cum sat multis, qui huic adhaerent, solutis jam a morbo, capillis detrahitur, ac pro re nata iterum aliquoties imponitur. Alii, emplastrum ex pice nigra plures per dies his crustis imponunt, atque illud cum istis, ac pilis repente detrahendo, caput omne cum impetu quasi decorticant. Hanc methodum non parva saepe partium insequitur inflamatio: quam butyro, betae foliis inuncto, sedare contendunt, et quae interdum venaesectione ac aliis indigebit auxiliis.

Alia quidem, ut diximus, in tinea primaria vix indicantur, quam *localia* remedia. Interim in adulto jam malo vel fonticulus, vel alia, per emplastrum vesicans ad nucham, ad brachia, vel per corticem thimeleae inducta exulceratio, vel et alvum purgans hinc inde remedium, ac pulvis antimonialis ex aethiope ( N. LIV. ), aut alter ex sulphure antimonii ( N. LV. ) ad securitatem maiorem, commendari merentur.

Ad *tineam faciei* quod spectat, ea quidem, quod vel sponte tandem dispareat, aëdamna vix habeat, remediis, ut illa capitidis, violentis non indiget. Interim cum continuus pruritus, ac vigiliae infantem disturbent ac emacent: in causis hujus incommodi ( S. 448. ) auferendis, et ad citiorem, quam quae a natura praestetur, morbi curam obtinendam, auxilia requiruntur. Experti et clari in arte Viri consilio, a multis jam annis hoc rerum in statu confirmato nos quoque *jaceam*, seu *violam tricolorem* hoc in morbo tentavimus, ac variis in casibus haec planta spem nostram implevit; in aliis, vix tantum praestitisse est visa. Exhibitur vel *recens*, in lacte decocta ( N. LVI. ), quod mact

ac vespera infanti porrigitur; vel sicta, in pulvere, ad drachmam dimidiam quotidie: quo sub usu tum alvus non raro, tum in primis urina, cum foetore, qualem jam descripsimus, apud varios cum fructu, moventur. Foliorum quoque *farfarae tussilaginis* decoctum, omni bihorio ad unciam dimidiam per menses porrectum, alterius sibi Viri laudem, quam in scrophulis jam dederant, promeruit; ac de primulae veris saturato decocto similia, a nobis necdum tentata, referezuntur. Plura interim, quae, tempore *longiori* porrecta, hoc in morbo utilia dicuntur, an hic ipse vel sponte vel per artem recesserit, nobis dubium relinquunt. Externis hac in tinea remediis vix locus est; et quae illam exsiccant, cum damno admoventur. Fortiori tamen a crustis durioribus tormento vel malvae decocto, vel lactis cremore lulci occurrimus, ac simul alvum cum syrupo cichorei cum rheo, vel cum nana, sine stimulo movemus. Si utriusque sub tineac decursu, vel ob incutam medelam, vel ob alias rationes, alterius forte mali pejoris symptomata occurrant, et ab illius suppressione pendere videantur: tunc habita tum causae

supprimentis, tum praesentis affectus ratione, ex traditis in casu simili praeceptis ( §§. 290. 326. ) consilium petendum est.



## ORD. II. GEN. VII.

*LEPRA.*

Notio.

§. 451. **V**ix una ex descriptis hucusque impetriginis speciebus existit, quam Veteres, et aevi medii Scriptores, — non modo cum fortius urgeret, sed et mitiori sub habitu, interdum non declarassent pro morbo, quem nunc veris ac distinctis coloribus depingere, ob hujus raritatem, tam ardui res laboris est. Etsi vero haec ipsa difficultas informonis apud Antiquos de *lepra* obscuritate, in *Arabum* garrulitate taediosa, ac in *Arabistarum* hos coeca fide exscribendi consuetudine fundamentum agnoscat; insignis tamen symptomatum, quae illam, vel *ut* futuri *indicum* morbi, comitabantur, vel *ut* frequentior effectus, circumfluebant, copia, — ut in altera nunc *lue*, quae *lepram* in Europa pau-

latim exceptit, ad imaginis manu Veterum delineatae ambiguitatem summopere contribuit. Vel sola cutis macula, vel pilorum defluvium, vel porrigo, vitiligo in primis, herpes siccus, vel squamis, tuberculis, ulceribus obsessae pellis conditio, quin solae in cruribus varices, suspicionem de *lepra* apud eos movebant: apud quos, vel ob contagii perpetui, vel ob causae communioris ac in plurimos eundem ad finem conspirantis rationem, impetigo leprosa cutaneorum et principium et finem morborum formare solebat.

Interim vix tanta rerum confusio ex Veterum hoc de morbo doctrina nasceretur; nisi infelix eorundem de *quatuor humoribus* theoria, et insignis Doctorum in morbo prorsus eodem, nunc ex formae, nunc ex solius coloris diversitate, subtilius distinguendo pruritus accessissent. Sed et illud non parum hujus morbi historiam obscurat: quod, sicut semina vegetabilium diversa, hoc sub coelo, plantam inermem, — in illo, fructem altiorem, efflingunt: ita *lepræ* contagium, aut fomes, hac terrarum in parte, sub ista, — alibi, sub alia magis, forma excreverit; quin verus atque constans morbosi floris

character ex Veterum laboribus sat tuto ad nos usque pervenisset. Sic *venereae* quoque Iuis symptomata, sub coelo multum diverso, insigniter inter se differunt, ac morbos observatori incauto, ac originis primariae ignaro, fere quosvis mentiuntur. Quo vero tempore ultima haec Iues Europam invasit, non mirum est, si tum istius, tum declinantis tunc *leprosae* affectionis, quae plurimum inter se conspirant, symptomata, a multis commisceri, et aegritudine ab una, ad alteram transferri videantur: quae singula sine dubio morbi apud nos quasi dispersi ac cessantis reliquias cum temporum obscurorum descriptionibus conferre, opus perdifficile nobis redderent; nisi Viri eximii susceptus nuper, *de lepra Occidentis*, utilissimus labor hoc sibi pensum assumere felici cum ausu voluisse. Nos quidem morbum, quem *Elephantiasin* Graeci dixerunt, semel ipsum, — sed oculo juvenili, in Veterum monumentis necdum satis versato, ac brevi temporis concessa mora, conspeximus; quam vero *lepram* hi proprie vocarunt, hanc pluribus exemplis impressam mente tenemus.

§. 452. Morbum tam proteiformem an *Definatio.*  
 gustis definitionis cancellis circumscribere,  
 res ardua est nimis. Nec enim natura, sed  
 vehementiac modo gradu sedisque ratione,  
*Arabum, Graecorumque lepras* inter se differre  
 putamus; et innumera symptomata, quae  
 diversos apud Populos, atque sub coelo eo-  
 dem, aegritudinem eandem, alia aliaque,  
 circumdant, constantiam vix ullam, — sed  
 cuiusvis fere morbi atrocis phoenomena, or-  
 dine nunc isto, nunc illo disposita, in hac  
 una ostendunt.

Quodsi tamen ad praecipua hujus tetrae  
 affectionis signa diagnostica sub variis *leprae*  
 formis respiciamus: hanc dicemus atrocissi-  
 mum impetiginis genus, cute aut *vitilagine*  
 ( §§. 402. 403. ) *diffusa*, — aut *piscium*  
 quasi *squamis*, *ulceribusque crustosis*, *orbicula-*  
*tis*, *pertinacibus*, — aut demum *tuberculis*  
*nodosis*, ad faciem inprimis, ad manus ac  
 pedes, inquitoata, insigniter pruriente, aspe-  
 ra, rugosa, unctuosa, lividaque, cum dis-  
 pnœa, voce rauca, nasali, morositate, ana-  
 sthesia ac stupore, salacitate morbosa, alvo  
 sicca, pedis deformitate, tumore elephanti-  
 no, ulceribus profundis, ad ossa, articulos,  
 sub paucœ dolore, extensis, haec ipsa sepa-

rantibus, foctore, ac aspectu totius horre-  
dis.

Differentiae.

§. 453. Haec vero ( §. 452. ) totius aegritudinis tum lenta primordia, tum limitatos ad cutem quasi solam progressus, tum summos ex ista in universum systema furores generatim concernunt; nec ubique tam atrox erat leprae natura, quin illam, quae psorae ferocioris in modum incederet, pro morbo ab *Elephantiasi* diverso complures declararent. Qui interim considerat, morborum incrementa, tam coeli, victus, quam diversae spud homines constitutionis ratione, quamplurimum differre, ac in ipsa *Graecorum Elephantiasi* saepe cutem non aliter, ac *Arabum* in *lepra*, ulceribus foedari: non difficulter hic sibi persuadebit, inter morbum utrumque non aliam, quam vehementiae in *Elephantiasi* majoris differentiam intercedere ( §. 452. ).

Non tamen ideo vana est *leprae* divisio, qua hunc morbum diuturnum tum in diversa sua stadia, — tum in praecipuas varietates, quibus corporis aut modo partem (*L. localis*), aut omnem compagem (*L. universalis*), aggreditur; — aut su-

perficiem commaculat, exasperat, obtundit (*L. alba*, s. *Leuke Graecorum*); — aut eandem exulcerat, ac eructis squamisque defoedat (*L. squamosa*, *L. Graecorum*); — aut pellis omnem, cum subjecta adiposa. substantiam in tubera nodosque attollit, corrugat, enervat (*L. Elephantiasis*, *L. Arabum*); — aut, ad manuum, pedumque articulos conversa, ea in crassas ac informes columnas infarcit, stupefacit, corruptit, ac separat (*L. Elephantia*); — aut denique in simplicem, vel cum aliis affectibus complicatam (*L. rubra*), distinguimus.

§. 454. Ut impetiginum, quas novimus, Morbi historia crudelissima, sic inter omnes antiquissima, ac coeli ardentioris, Indiarum, Aethiopiae, Arabiae, Aegypti, primogenita quasi morborum filia, est *lepra*. Hic etenim locorum, quod Scriptores tum sacri, tum profani, ex vetustissimis, indicarunt, — sed forte et ad frigidioris septentrionalis oceani litora, exstructum primitus, et ad nostra usque tempora intactum, figitur dirissimae hujus luis habitaculum. Ex Aegypto haec in Asiam ac Graeciam, ob mutui commercii rationes forte prius, quam alias ad gentes, migravit; sed

quo sibi tempore Romani Orientem Victores submiserunt, per Italiam haec pestis ac per omnem Europam propagata est. Vix interim temperatum hoc orbis solum peregrino morborum semini diutius favere, sed et ipsum in illo, nisi alio, recenti, suffultum, languere ac suffocari videbatur: cum primum pietatis ambiguae instinctu Orientem visitandi, ac demum hac parte terrarum potiendi commune Europaeis desiderium, hanc stragem Populorum, donec altera, non minus peregrina, eandem imperio expelleret, revocasset. Eo scilicet a tempore, si modo pauca, quibus infaustum illud leprae seminium adhucdum adhaeret, loca excipimus, vix multa hujus morbi proiecti exempla in Europa occurrunt; sed novae infectionis pericula ex incauto cum populis hac a lue notatis commercio instare, infelici parentum nostrorum sorte admoniti; veremur.

*Signa prodromia.*

§. 455. Stadia hujus morbi (§. 453.) ex symptomatum successione, ac leprae tum principio, tum incremento manifesto, tum summo fastigio, divisionem admittunt.

Quae a fomite hujus luis suscepto contingant; non minus ea, hoc ipso, ac viis,

per quas corpus ingreditur ( §. 460. ), obscura sunt et dubia. Lassitudinem generalem, morositatem, horrores cum caloribus ac *aestu interno* commistos, aut interdum *quartanae* quasi typum observantes, *formicationis* inter cutem carnesque, in primis *faciei*, *sensum*, et locales adeo affectus, hic plures accusarunt; sed morbi tam lenti sub decursu, forte plura, quae ad ipsum non spectent, contingunt; nec leprosus a febribus, aut ab alio contagio prorsus immunis videtur. Interim recens adhuc morbi virus febrem interdum accendisse, et per hanc ipsam subinde cum impetu ad cutis superficiem mox depositum fuisse, observationes tum aliorum, in primis de lepra *elephantia locali* ( §. 458. ), — tum propria de lepra *squamosa* ( §. 457. ), testantur.

Sic, elapso vix anno, foeminam triginta circiter annorum hoc ad *Clinicum Institutum* suscepimus: quae duarum licet jam prolium mater, nec tamen in vita fluxum experta erat menstruum, et lochia paucissima post partus excreverat. Haec, per quadraginta quinque jam dies, a febre, ac simul ab impetigine crustosa, squamosa, universam ad cutem, correpta, nosocomium petierat. Faciei rubor insignis, ac plurimae tum in ista,

tum ad partem capitis capillatam, ad collum, pectus, abdomen, dorsum, extremitates, crustae, tum flavae, tum subnigrae. Inter istas, cutis undique sulcata, aridissima, hinc inde fissa, a squamis majoribus, cinereis obtecta. Dolor ingens, et calor ad tactum tam insignis, ut similem nobis nunquam in aegrotante alio observare contigerit; tumor pedum, ac genuum in primis, dolentissimus; arteriae centum et triginta ictus, minuto primo, interdum plures, durissimosque et contractos absolvebant. Tres igitur venaesectio-nes brevi temporis intervallo institutae, nobis sanguinem denso corio obtectum obtulerunt. Ingens squamarum copia quotidie in lecto reperiebatur, et quo loco cutem deseruerant: eo rubor ac cruda quasi caro, non ulcer, subjacebat, humorque tenax ac foetidus stillabat. Quamplurima hos ad aestus extinguendos porrecta sunt, quae hic omittimus, tum interna, tum externa remedia, ac in balneum aegrotam demisimus frequenter, hoc effectu: ut trium fere mensium, a quo Clinicum petierat, intervallo, ab atroci hoc morbo restituta, sine ullo pellis vitio, ad suos redierit laetabunda.

Plerumque febris nulla hunc morbum aut praecedit, aut, si finem excipiamus, comitari videtur. Incipientis yero tunc morbi signa ab aegrotantibus vel celata, vel, ad partes obiectas istorum collocata, vel nimis exigua, vel pro varis aut naevis declarata, ac saepius nullo aegritudinis sensu sociata, medicorum haud raro cognitioni subtrahuntur. Altera judicii difficultas huic primae, ex ipsa signorum multitudine, et significacione ambigua aliquando accedebant. Nunc etenim lentigines, nunc panni, nunc macula rotunda vel alba, vel rubra, subflava, vel et nigra, pruritus expertes, — nunc porrigo, alopecia, aut ulcus, aut alia, hanc labem, — in aliis, modo simplicem benignumque cutis morbum indicabant.

Praecipue vero macula, plerumque una, vel et plures, figurae potissimum rotundae, aut parum, aut nihil elevatae, ad faciem, axillas, vel pubem, vel ubique sub descripto colore, — ac vitiligines (§. 403.), extensionis nunc minimae, nunc lenticularis, aut interdum amplioris, — dum ambitus earundem vel in latum, vel in profundum, nunc citius, nunc tardius augeretur, — dum pili, si quos fundus macularum haberet, aut sub-

tiliores, breviores, rariores, lanuginosi, aut albi redderentur, vel et protinus defluerent, — ac demum cum locus hic inaequalis, depresso, aut, acu perfossus, vel igne tractatus, nequidem *sensu* consueto gauderet, aegritudinis latentis testimonium dederunt.

Color igitur in cute., aut partis, aut corporis totius, mutatus, ac *sensus* in macula recenti, *decrementum*, — in adulta, atque profunda, *abolitio*, si adsint: potissimum in lepra diagnosis constituunt. An deficiens aut macula, aut anaesthesia, lepram semper excludat? hoc major, ac nobis esse potest, experientia docebit; nec in lepris, quas vidimus, tam scrupulose, ac forte decuissest, cutis omnem superficiem examinavimus.

Interim et aliorum signorum, simul scilicet collectorum, cum aliam originem non agnoscere viderentur, suo tempore non parva habebatur auctoritas. Ipsae certe *maculae* nunc a cute recedebant, atque, iterum iterumque redeuntes, superficiem, in parte vel ista, vel illa, jam interdum majores, elevatores, magisque obscurae ( panni ), foedabant; nunc cum majori constantia sedem sibi vel unam, vel ad plura simul loca defixam, eligebant. Interdum non tam *maculae*, quain-

pustulae, aut siccus ac orbiculatus herpes  
praecedere lepram solebat. Animi corporis-  
que segnities insolita, morositas, facilis ira-  
cundia, vel in dolos, suspicionem, disposi-  
tio, — insomnia tristissima, terrifica, ephial-  
tes, — lascivia insueta, ac major viibus  
coeundi potentia, — oculorum albedo obfu-  
scata, turbata, vel rubra, aut livida, ac in-  
nigrum declinans, figura oculi rotunda, *leo-*  
*nina*, — vox rauca, vel, rarius, acuta et  
subtilis, cum anhelitus, foetentis, strictura,  
— narium, exterius rubrarum, lvescentium,  
interna angustatio, vel ulcus, frequens ster-  
nutatio, et privatio olfactus, — faciei infla-  
tio, cum magna validaque rubidine, ac pelle  
super fronte quasi tensa, et lucente, nodo-  
sa, aspectu torvo, — capitis, superciliorum,  
ac menti porrigo, pilus rarius, mutatus, alo-  
pecia, — sudoris foetor, alvi tarditas; eru-  
ctatio perpetua; lotium subjugale, ac turbid-  
um, interdum tenue, aquosum, — pulsus  
parvi ac lenti, — praecipua venientis leprae  
symptomata constituebant. Alia superaddidit  
insulsa hoc de morbo ejusque ex cholera  
nigra origine, theoria: quae singula ex Ve-  
teribus referre, humanae mentis esset satyram  
conscriptere.

Per longos saepe annos hic morbus, vix uno altero ve signo stipatus, medium quasi per salutem, translucebat, ac hominem, ad extremas jam miseras damnatum, quascunque functiones, illibatae libertatis fraudulentio sub aspectu, exercere sinebat: donec vel in pueris pubertas, vel in adultis, alia rerum mutatio, latentem sub cineribus ignem, attonito aegrotante, rapaces in flamas eveheret, ac lepram vel in parte, vel universo in corpore diffusam ostenderet.

L. confirmat.

Hunc igitur jam proiectae aegritudinis statum sequentia, sub quibus utpote leprosum a Populo separari eurabant, in genere comitari solebant. Vitiligo incrementum jam sumit, ac in profundum latumque, nunc citius, nunc lentius diffusa, sensum omnem ammittit. Nunc singula, quae morbum hucusque obscurius indicaverant, augentur phoenomena: increscent segnities motuumque difficultas; insomnia terribilia, morositas, raucedo, faciei circa-nasum rubor, livido, ac inflatio; turgescunt, dilatantur exterius, angustantur interius, nates; tument genae, labia; protuberant supercilia, ac tubercula cinnabarino, subflavo, vel et livido, colore notata, has partes non minus, quam aures,

frontem, ipsumque interdum palatum, exasperant, defoedant. Intermedia his cutis crassescit, et in plicas rugasque unctuosas contrahitur: unde facies, ut vocant, *leonina* efformatur, nigrescit, ac humanae imaginis deuentur vestigia. In pluribus cutis undique ulceribus foetidissimis, crustosis, albis, et squamosis, cum pruritu ac ardore, dolore, cum tactu licet obtuso, insignibus, obtegitur. Corpus integrum, si modo partium dictarum tumores excipiamus, tabescit.

Atque nunc fere hic morbus ad summum fastigium (§. 458.) ascendit. Vox penitus extinguitur, foetorque animae et corporis, cum spirandi labore continuo increscit; sub lingua grandinosa, raninarum venarum varices, quae et alibi, ad pectus, ad tibias oriuntur, subnigrae comparent; secedunt pili vix non omnes, et caput, et supercilia praetumida, liminaque palpebrarum, et mentum, et axillae, et pubes, tibiaeque glabrescunt; finduntur, incurvantur, et corrupti labuntur unguis; muscularum torositas omnis disparet, in primis illorum, qui inter pollicem et indicem digitum sunt positi; ciborum digestio prava, ac flatuum incommoda, vel et fames in quibusdam canina, augentur;

Summum fa-  
stigium.

vix faeces alvus, — ac jumentosam continuo vesica urinam, expellunt; infausta Veneris cupido ac tentigines in consumpto ac morituro jam homine intenduntur; extremitatum articulos, phalanges, a carie latente erosa, tumores insensiles, alii juxta alios, circumdant; vel et ulcera sicca, profunda, sensuque vix praedita, deturpant; et cutis, hinc in plicas crassiores, nodosas elevata, — in sulcos ac rugas asperas, profundas, aut fissas alibi contracta, *elephantini* magis, quam humani pedis figuram aemulatur; interdum narres, intermedia cartilagine erosa, collabuntur; aut prorsus, ut digitorum phalanges, aut integra quoque membra, a vivis, vel sponte, ac sine dolore separantur.

Haec fere morbi truculenti, prout diversis in locis comparet, ac *leprae* in primis *nodosae* ( §. 458. ), horrenda est facies. Interim non ubique haec singula in omnibus leprosis occurunt symptomata; sed in aliis, ut dictum est, superficiem, in aliis, cutem integrum, extremitates et articulos in aliis, pro sede sibi eligit furorum. Hinc ob varios ejusdem aegritudinis aspectus, interdum ob solas theoriae de *quatuor humoribus* rationes, in quatuor fere species ( §. 453. ), aut in

illas, ab aspectu impetiginis desumptas, ab Auctoribus distincta est lepra: quas morbi varietates, modo paucis coloribus depictas, trademus.

§. 456. *Lepra alba*, *zaraah* Hebraeorum L. alba.  
*Baras* Orientis, *Leuke* Graecorum. Antiquior  
 longe aliarum leprarum notione, atque cla-  
 rissima istius *plagae* in Sacris paginis descri-  
 ptio est. *Morphaea alba* ( §. 403. ) frequen-  
 tissimum hujus principium fuit, et sicut ista,  
 modo cutis superficiem maculare, — sic *le-  
 pra alba* profundius per cutem, carnes, et ad  
 ossa usque descendere, hasque partes immu-  
 tare, ac se ipsam dilatare consuevit. In vi-  
 tilagine *morpheae*, quam *albam* vocavimus,  
 si qui pili ad plagam, quam illa occupabat,  
 aut sanam prius, aut cicatrice ab igne aut  
 alia laesione violenta foedatam, haerebant:  
 hi colorem non mox a principio, sed tar-  
 dius mutare, — et macula rotunda, plerumque  
 depressa, albescens, nec sensu in totum pri-  
 vari, nec incrementum habere solebant.  
 Quodsi vero lepra his e signis prodibat;  
 tunc ex lacteo, color niveus ac splendens  
*morpheae*, ipsique pili albedine, tenuitate  
 distincti, asperitas, porrigo, stupor, ana-

sthesia, dilatatio macularum manifesta cernebantur. Interdum et pustulae, nunc rubrae, nunc citrinae, nunc durae ac lividae, nunc albae, molles, ac cito puriformes, vel et maculae coloris non albi, hanc lepram praeccurrebant. Cum magno aegritudinis augmento morphaea, dum locus fricaretur, ruborem non contrahere, aut ferro punctus, hic non sanguinem, sed humorem albescentem, sine sensu, ex profundo plorare, pilosque canescentes, aut albos, vix non omnes dimittere cernebantur. Aliquando universa hominis leprosi cutis nunc ulceribus pustulisque obtegebatur: quae in crustas albescentes, et squamas conversa, si modo carnes fungosae sub istis non laterent, *leprae* quasi *crisis* constuere videbantur. Cum vero sub laxiore solidorum contextu, ac facie inflata, morphaea, hucusque depressa, aut plana, cum cute ipsa pallida, subtumida, molli, sed et sicca et aspera, in altum surgebat, ac furfures, vel squamas, ut pellem serpens (*L. tyria*), deponebat; et rhagades, et ulcera viscosa, et caro luxurians hac in parte nascebantur; cum glandulae, sub cute alba, in mollem tumorem adactae, oculi lacrymantes ac fatus, gingivarum, labiorum erosio, fungosi-

tas, palpebrarum inversio, narium oppilatio, emunctio frequens, salivae effluxus copiosus, venter laxus, urinae albae, crassiores, pingues, et saniosi quid habentes, unguium corruptio, pilorum defluvium, pendumque tumor hydropicus, in conspectum prodibant: tunc summum jam fastigium haec lepra attigisse, ac plura nunc morbi universalis symptomata communia huic ipsi conjungi videbantur.

§. 457. *Lepra squamosa*, *L. Graecorum*.

*L. squamosa*.

Difficilis et fallax hujus varietatis leprosae a *psora inveterata* (§. 435.), — a *psydraciis* diversis (§. 440.), in primis a *venerea*, *scorbutica*, *scrophulosa*, *senili*, — et ab *herpete rodente*, *phagadenico* (§. 422.), diagnosis est; et sicut lepram haec mala interdum mentiuntur: sic ista hinc inde originem, alterius impetiginis sub aspectu, leprosam agnoscunt. Nullum certe, quod satis constans esset, hanc ad lepram Graecorum signum perducit; et si *morpheam nigram* lumentius ac frequentius in istam, quam in aliam, abivisse dicendum sit; nulla tamen cutis defoedatio, aut porriginosa, aut pustulosa, occurrit, quae vitii illius praecursorem

non saepius egisse videatur. Quae interim ad pellem crassam, coriaceam, inflexiblem, tensam, asperam, aridam, inaequalem, sulcata-  
tam, ardente, ac insigniter prurientem,  
nec facie excepta, crustae pertinaces, vix  
non callosae, verrucosae, nunc cinerei aut  
obscure albescens coloris, nunc ex flavo  
subrubrae, vel subnigrae, ad corpus modo  
integrum, modo crura vel brachia potissi-  
mum, vel et partem quamcunque, sine cau-  
sis alterius impetiginis manifestis, nascuntur,  
ac in piscium quasi squamas majores, rotun-  
das, siccas, copiosas, vel et corticum testa-  
rumque, quasi nive, aut farina conspersarum,  
sub forma, a cute subtus aut cruda, rubente,  
aut fissa, sanguinolenta, aut erosa, resol-  
vuntur, ac, iterum iterumque redeuntes, di-  
latantur, — in primis quae junctum hinc inde  
vel in confiniis stuporem, tactusque sensum  
obtusum, articulorum rigiditatem, unguium  
corruptionem ac lapsum, et pilorum ex parte  
affecta defluvium, aut colorem mutatum  
agnoscunt, — quae cum sudore nocturno et  
cum macie extrema incedunt: hae ad *lepram*  
*Graecorum* non immerito referuntur, et nunc  
solae, nunc ipsius morphaeae, vel elephan-  
tiasis sociae, incedunt. Si, malo prorsus *le-*  
*cali,*

cali, vel coxae tibiaeque, vel brachia crustae densiores, elevatae, aridae, variisque, saepe nigri, coloris, cum pauca sanie ulcus lividescens cum partis stupore, subinde cum inguinalium glandularum tumore, obtegerent: tunc *mali mortui* sub nomine veniebat. Interdum et haec species impetiginis, si copiose ad pellem effloresceret, *leprae crisi* constitutere eredebatur.

§. 458. *Lepra tuberculosa, nodosa univer-*  
L. Elephant.  
*salis, Elephantiasis Graecorum.* Haec morbum, de quo agimus, in summo gradu constituit, ac aliarum varietatum symptomata, una cum illis, quae supra ( §. 455. ) indicavimus, fere singula complectitur. Non quidem haec lepra, *Aegypto* endemia, sub tropicis nec nostris temporibus rara, in Europa vix unquam tam frequens, nec prorsus tamen exul, ut in homine se prodat, aliarum varietatum decursum, aut formas illarum absolutat, necesse est; nec prodroma ei signa, nobis quidem nota, habentur, ex quibus *Elephantiasin*, non lepram aliam, futuram esse, sat tuto concludatur; sed praeviis, modo febre, in primis vero maculis, vitilagine morphaea, erythematate varicode ( *gutta rosea* ),

modo pustulis, herpete sicco, orbiculato, jam cutis, ad faciem plerumque, sed et alias ad partes, potissimum ad articulos, ad manus atque pedes, nodosa, tuberosa, cum descripto istorum *elephantino* tumore, aliisque jam satis ( §. cit. ) enarratis phoenomenis, segnitie totius corporis spontanea, mentis ignavia, proclivitate in somnum, per insomnia turbatā, stupore, anaesthesia, atque squamis pertinaciter adhaerentibus, ulceribus nunc aridis, nunc rodentibus, subflavis, vultuque nodoso, rugoso, terribili (*L. leonina*), comparet.

*L. leonina.*

*L. elephantia.* Interdum lepra nodosa *localē* magis, quam universalem, ut diximus, affectionem constituit, morbique materia cum totius emolumento ad articulos, manuum, in primis pedum crurumque, vel ad ungues, abinde fœdos et *globosos*, deponi videtur. In plurimis, sub morbi principio, febris manifesta, cum rigore, calore, deliriis, inguinisque dolore, tumore glanduloso, occurrit. Mox cruris hac in parte, aut utriusque, inflatio, rubedo, ac dolor, interdum cum stria rubra, sat lata, vasorum lymphaticorum decursum indicante, insequuntur: quo tempore et febris et tumor glandularum inguinalium subsidere observan-

tur. Saepius, sed tempore incerto, haec febris revertitur; et in crure, post quemvis insultum, incrementum tumoris, oedemati consimilis, sed magis tenitentis, conspicitur: donec, sub melioris valetudinis, si modo siccum in quibusdam intensam excipiamus, aspectu, pedis elephantini figura, nunc aequalis, nunc per sulcos plicasque divisa, emergat; et sub pelle crassiori, squamosa, humor tenax, glutinosus cellulosa dilatata, tenaciori, ac variis depicta circumseptus, in substantiam lardaceam concrescat; vel ex cute disrupta, per fissiones, per ulcera impura, fungosa distillet; aut pars ipsa, sine sensu, post longos modo annos, a vicinis separetur. Intendum localis hic tumor nunc manus, nunc brachium, nunc aures, vel nucham, nunc dorsum, vel lumbos, nunc ipsa pudenda, occupasse est visus; sed frequentior ad pedem ejus sedes est; ac tandem se ex isto, universum per corpus dilatasce describitur.

§. 459. *Lepra alopecia*, *L. rubra*, *L. complicata*, *scorbutica*. Hujus varietatis ab *erythematate varicode*, s. *gutta rosea* ( §§. 397. 399. ), principium desutni, est veterum doctrina. Hoc, insens plerumque nunc tempo-

*L. rubra.*

ris, faciei nariumque vitium, nunc leve, nunc pustulis, aut siccis, aut saniosis, crustosis distinctum, — interdum non dissimiles aliis in partibus rubores, — ut *lepram elephantiasin* ( §. 458. ), sic et eam, de qua nunc sermo est, varietatem, praecedunt aut pessum dant. Facies hic, et genae, et nares, a tutore profunde rubicundo, pruriente, pustuloso, crustisque saniosis defoedantur; maculae aut flavae ad cutem comparent, ac sponte recedunt; gingivae fungosae ab attacatu leviori mox cruorem emittunt, halitusque ac sudor, ac urinae subpingues, aut crassae et rubrae, vel et sanguine commixtae, foetorem exspirant; ulcera saniosa et rubra superficiem inquinant; supercilia ciliaque pilos in totum amittunt, inflantur, et oculos rubentes lacrymantes nascondunt. Quod nisi facies potissimum hujus morbi sedem formare videretur; nisi tumor superciliarum pilorumque ex istis defluvium accederent; non tam *leprae*, quam *veri scorbuti*, hac in descriptione ex Veteribus deprompta imaginem habemus. Interim et suam leprae cum scorbuto, venerea cum lue, cum scrophulis, etc. complicationem concedimus lubenter; quin ideo aut *rosam*, ut appellant *Asturiensem*, aut en-

demicam Nostratibus *Pellagam* huic leprae varietati pro argumento esse, hucusque ex rationibus, suo tempore referendis, opinemur.

§. 460. Quid lepram in homine produ- causac.  
cat; hoc, nisi principium esse dicatur, quod ex parentibus per haereditatem in proles, aut ex infecto quovis, ut contagium, in sanguinem se transfundat, difficulter eruitur. Vel ex victu perverso atque piscium corruptorum ex usu, vel aquarum locorumque ex infausto imperio, vel ex terrore majori, ac fortunae adversitatibus hunc morbum popularem derivari, vetant rerum earundem, sub eadem positione, in gentes diversas ac plurimas effectus non idem, et causarum tam communium non exspectanda tam singularis in paucas modo tribus operatio. Ipsa interim contagia, ut ad alios propagentur, certas sibi rerum conditiones omnino exposcunt: atque sic coeli, tum calidioris, tum frigidioris ac humidi constitutio haec ipsa sovere, atque cutem habitantium hoc pro semine recipiendo disponere videtur. De haereditario leprae ex genitoribus in prolem, aut saltem in ipsos nepotes, transitu, copiosa, et ho-

dierua adeo, exempla sine dubio testantur. Non eadem de *contagio* certitudo habetur, et innumeri leprosi cum sanis uxoribus, insatiabili quidem cum libidine, sed sine damno istarum manifesto, concumbunt. Mulierem a lepra *squamosa* jam multos per annos insigniter affectam, ac non modo *prolium*, hoc a tempore genitarum *sanissimarum* matrem, sed cum proprio marito, eodem in lecto sine noxa istius, cubantem, nos ipsi conspeximus. Non vanae interim sunt leges, quas ad lepram Hebraeorum ( §. 456. ) Legislator antiquissimus tanta cum sapientia, — et quas Populi vix non omnes, ad horrendam hanc luem a civibus avertendam, ubique tam solcitate tulerunt: et vel ipsa, quo hic morbus Europam repetito invasit, modus, — tristissima ac recens insularum variarum inter tropicos positarum historia, ac infaustum cum infectis *Africas* incolis in servitutem conductis commercium, nec minus complura leprae ex longa, atque intiomori cum infectis consuetudine contractae exempla, abunde docent: *contagium* huic morbo, licet *lentum*, ac modo paucis praedispositis nunc quidem infestum, subesse; nec ob insons' hodie apud plures cum lepro-

sis commercium, posse leges, quas quondam neglexisse Europam non semel poenituit, sub tam incertis rerum mutationibus, humanitatis sine damno aboleri. Quo tamen modo, et per quas demum vias hoc ipsum contagium suscipiatur a sanis, — quas partes id primum invadat et inficiat; hoc non minus, quam ipsius virus natura ac indoles, nos protinus latet. Infantes hoc minus foeminasque, ac viros, infestasse, — et quibus testes ex istis resecti fuissent, hos aut nunquam, aut mitius affecisse contenditur (§. 462.). An, quod minora infectionis pericula, quam alii sub coitu, incurrerent *Eunuchi*? an ob rationem eandem, qua lepra *haereditaria* pubertatis sub tempore potissimum, — nec sine insigni ac fere proprio partium genitalium, atque generis nervosi stimulo, prorumpit? . . . ignoramus; sed certe et *impuberes*, a parentibus leprosis oriundi, leprae signis maculati incedunt. *Blennorrhœam* ex *lepra sola* apud quosdam venisse, ob utriusque antiquitatem mali, suspicio esse potest; certitudo non habetur. Ab *insectis*, quae utique sua ova aut larvas ulceribus, quae patent, quibusvis non raro committunt, lepram derivari, vix certa satis observatio concedit; nec illa, quae

impetignum origini adversantur, haec, ut psoram, sic et *lepram*, seu *albam*, seu *nodosam*, dispellunt. Interim non minus tumores in *lepra Elephantiasi* sub cute conspicui, quam *porcorum* in morbo proprio cutaneo, ut experimenta recentia, praeter ullam veritatis suspicionem, docuerunt, *causam* agnoscere *viventem* possent. Quae ex unico sub cute nidulante *gordio*, in primis disrupto, symptoma nervosa oriantur, experientia per noscimus. Quaevis sibi *taeniae*, nec cerebro excepto, pro sede viscera certe eligunt: an in *tela cellulosa subcutanea* apud *leprosos* similia contingunt? an potius *glandulosam* tumor originem agnoscit, et *systematis lymphatici* lepra morbus est? experimenta illorum, quibus occasio se offeret, docebunt.

**§. 461.** Vix quidquam Medicinam in leprae curatione praestitisse, vulgaris est opinio: cui, quotquot hanc artem vel quondam exercuerunt, vel hodie dum profitentur, si de morbo jam proiecto loquamur, non difficulter accedunt. Aequivoca signorum, quae hanc luem praecedunt, natura ( §§. 451. 455. ), sollicita eorundem ab aegrotantibus occultatio, causarum ignorantia, et singularis, quo-

nervosum systema hic laborat, stupor, hanc artis impotentiam excusant. Incipientis tamen leprae, ac morbi jam satis manifesti cum successu dissipati, aut saltem mitigati exempla non prorsus deficiunt, ac in genere, *squamose*, quam aliarum leprarum, facilior, aut saltem minus ardua est curatio. Vitiligo morphaea, in quantum nec numero, nec in latum, nec in profundum crescebat, nec latentem in suo ambitu pilum aut colore immutabat, aut graciliorem, breviorem, lanuginosum reddebat, aut prorsus emortuum expellebat, nec sensu vel calore carebat, sed a frictione rubebat, et ab acu perfossa, doloris non expers, cruentum fundebat: leprae metum praesentis deponi, ac morbi, nisi nimis jam adulti, sanationem sperari concedebat. Contraria, de morbi augmento, ac de fomitis morbosi dilatatione plerumque funesta testimonium exhibebant. Morphaeam *albam*, ad lepram hoc a colore vocatam (§. 456.), — morphaeam *nigrum*, ad *squamosem* (§. 457.), plerumque conducere, experientia suffulti, praedicebant. Hinc albam prae nigra infamem declarabant, si diutius persisteret, morphaeam. Quid *lepram nodosam* (§. 458.) signorum praecedat? an

quasi ex improviso , ac sub dubiis modo  
indiciis prorumpat? hoc, ut verisimile vix  
est; ita maximis adhucdum tenebris involvi-  
tur. Interdum universalis ad cutem efflore-  
scentia, leprae, ut diximus, quasi *crisis*  
constituisse videtur.

D: methodo  
med. L.

§. 462. Nemo est, qui pro morbo nunc  
temporis tam raro occurrente, et suas quoad  
causas tam obscuro, medendi methodum ab  
experientia, quod magis interest, desumptam,  
a nobis tradendam exspectet. Juvat interim,  
quam tum alii ingressi sint, tum nos ipsi hoc  
in morbo tentaverimus sanandi viam, hic bre-  
vibus indicare. Ad *lepram squamosam* (§. 457.)  
quod pertinet, hanc eâdem, quam ad *herpe-  
tem rodentem* proposuimus (§. 425.), ratio-  
ne, aliquoties sanavimus; ac potissimum, in  
athmosphaera puriori ac tepida, pro internis,  
antimonialia, hepar sulphuris cum acidis  
porrectum (N. LVII.), decocta rumicis  
seu lapathi acuti, dulcamarae, ulmi campe-  
stris, ligni guajaci, cum lacte copiosius  
haurienda, — aut, quae causae forte cogni-  
tae, vel complicationem facienti, potissimum  
opponantur, tentari merentur. Interdum ve-

nae seetio , scarificatio , aut purgans medicamentum , praemittenda sunt . Interim spes major in externa et hic ponenda est auxilia ; atque balnea tum sulphurea , tum ex aqua marina , — vel , sub majori ardore , ex lacte , emollientibus , vel ex partibus animalium pinguioribus cum aqua decoctis para ta , pro virium ratione subministranda , — unguenta , linimenta , vel ex simplici butyro , aut oleo , aut cremore lactis dulci , vel , cum certa , ob mercurium contentum , cautela , alia , jam in aliis cutis vitiis laudata ( NN. XLIII. XLVI. ), vel cum succo nicotianae tabaci , aut cum acido muriatico confecta , aut linimentum saponaceum ( N. LVIII. ) , in opem vocanda sunt . Mercurialia vix unquam cum fructu , sed saepius manifesto cum danno , in lepra *interius* fuerunt porrecta .

Qui lepram elephantiasin aut et albam tractandi quotidiana quondam occasione frue bantur , hi , pro temporis hoc de morbo theoria , ex quo humore aegritudinem generatam esse credidissent , hunc , victu , ac remediis contrariis aggressi sunt ; aut potissimum in cute condecoranda , ac in maculis , per *cosmetica* , vel adeo per *caustica* reme-

dia , delendis operam collocarunt . In primis vero omnem , quam potuerunt , in diaeta ordinanda sollicitudinem posuerunt , et a carnis diversis , leporina , asinina in primis , atque porcina , quam ultimam *Legislator Divinus* , ut impuram , rejecerat , — et a cibis crassioribus , flatulentis , viscosis , a piscibus , qui squamis destituerentur , in genere ab alimentis aut sale , aut aromate acriori conditis , — sed a Venere quam maxime , abstinentum , — corpus vero pro viribus exercendum esse docebant . In cura morphaeae , quae antiqua non esset , ut nostro nos tempore , mox a suscepto a sanis contagio faceremus ( §. 94. ) , et vomitum frequentem , et sudores in balneo , theriacam , et frictiones commendarunt . Nec sanguini ( quod de morbo , cui febris fere deest , miremur ) licet multum non mitterent , parcebant ; ac , praeter scarificationes , cauteria , varices in *elephantia* ( §. 458. ) comparentes incidebant , extrahebant , eradicabant ; reprimentia , atque ipsas demum fascias , a calcaneo usque ad genu , vel ad inguinem , applicari curabant ; atque alvum nunc fortioribus , si phlegma , aut melancholiā supponerent , stimulare ,

nunc blandis, ut sero lactis, remediis, movere studebant. Nec ad ipsam *castrationem*, ut hunc morbum aut averterent, aut ejusdem progressus praepedirent, descendere verebantur. Quas interim laudes haec operatio mereatur, recentiorum, nisi contrariis, experimentis destituti, ignoramus. Ipsa in *elephantia*, suscepta cruris tumefacti amputatio, quin labes ad alteram mox tibiam verteretur, ut recentior experientia monstravit, non potuit impedire; sed profuit ab initio, et cum febris quasi *intermittentis*, *anomala*, natura subesset, peruviani usus corticis, qui sequentes insultus, pedisque tumorem monstrosum impedivisse videbatur. *Viperinae* quoque carnes, et decoctum ex iisdem paratum, Veterum medicorum omni potita sunt fiducia. Ad *arsenicum*, cum *piperis* sex partibus remistum, apud *Indos* jam pridem medici Sacerdotes configurerunt, et adhucdum his ipsis, ut referunt, cum successu utuntur. *Cuscutae* quoque (*americanae?*) in aqua infusae, maceratae, contusae, cum succo limonum remistae, maculisque leprosis, tuberculis ac nodis quotidie illitae, — *ledique palustris* saturatum infusum ulceribus impositum, quo-

rundam hoc in morbo sibi laudes prome-  
ruerunt. Nos nostrum his de rebus, donec  
certior experientia loquatur, suspendimus  
judicium.



# FORMULAE MEDICAE

*IN §§. PRAECEDENTIBUS CITATAE.*



Num. XXXIX.

*Massa pro cute depuranda.*

**R**ECIPE amygdalarum amararum uncias novem,

Pinearum uncias tres.

Terantur in pollinem subtiliorem, cui adde  
Vitellos ovorum sex.

Misce.

N. XL.

*Vinum camphoratum.*

**R.** Camphorae rasae drachmas duas;

Terantur cum aliquot alcoholis guttulis,

Adde succum Citri unius recenter expressum,  
Vini optimi libram unam.

Coletur.

N. XLI.

*Linimentum camphoratum.*

R. Camphorae drachmam unam,  
Nitri puri drachmas duas,  
Mellis quantum sufficit, ut fiat linimentum.

N. XLII.

*Unguentum cum sinape.*

R. Pulveris seminum sinapis subtilissimi uncias tres,  
Olei amygdalarum unciam dimidiam,  
Succi Citri acidi quantum satis est, ut fiat unguentum.

N. XLIII.

## N. XLIII.

*Unguentum mercuriale rubrum.*

R. Butyri recentis uncias duas,  
Cerae albae, liquefactae drachmas tres,  
Mercurii praecipitati rubri,  
Camphorae, ana drachmam unam cum  
dimidia.

M.

## N. XLIV.

*Decoctum dulcamarae.*

R. Stipites dulcamarae a drachmis duabus  
usque ad sex.  
Concisos infunde cum aquae libra una  
cum dimidia, et in Vase clauso le-  
niter ebulliant, refrigerata colentur.

## N. XLV.

*Pilulae antimoniales.*

R. Aethiopis antimoniales,  
 Gummi-resinae guajaci, ana drachmam  
 unam,  
 Extracti stipitum dulcamarae drachmas  
 duas,  
 Misce fiant cum syrupo simplici pilulae  
 granorum duorum.

## N. XLVI.

*Unguentum mercuriale album.*

R. Mercurii praecipitati albi drachmam unam,  
 Axungiae porcinae unciam unam.

M.

## N. XLVII.

*Unguentum zinci.*

R. Pulveris zinci calcinati drachmas duas,  
 Axungiae porcinae drachmas sex.

M.

## N. XLVIII.

*Ceratum tabacinum.*

- R. Succi nicotianae tabaci,  
 Cerae flavae, ana uncias tres,  
 Resinae pini unciam unam cum dimidia,  
 Terebinthinae unciam unam,  
 Olei myrrhae quantum satis, ut fiat cera-  
 tum.

## N. XLIX.

*Decocum corticum nucis juglandis.*

- R. Corticum viridium nucis juglandis unciam  
 unam,  
 Infunde cum aquae libra una,  
 Post tres horas, infusio ebulliat per horae  
 quadrantem; refrigerata colentur.

## N. L.

*Unguentum Jasseri.*

R. Pulveris subtilioris florum sulphuris,  
 Vitrioli albi,  
 Baccarum lauri, ana  
 partes aequales.  
 Misce, fiat cum oleo lini, vel olivarum,  
 unguentum.

## N. LI.

*Solutio mercurialis simplex.*

R. Mercurii sublimati albi grana sexaginta,  
 Solve in aquae distillatae libris duabus.  
 Misce pro usu externo.

## N. LII.

*Solutio phagadaenica.*

R. Aquae calcis recenter paratae uncias octo,  
 Mercurii sublimati,  
 Dulcis, ana grana viginti,  
 Misce pro usu externo,

## N. LIII.

*Cataplasma ad tineam.*

R. Pulveris herbae malvae uncias quatuor,  
 Coque cum lacte; sub finem adde  
     Pulveris herbae cicutae, unciam unam,  
     Butyri recentis uncias tres.  
 Misce, fiat cataplasma molle.

## N. LIV.

*Pulvis aethiopicus.*

R. Aethiopis antimonialis grana tria,  
 Sacchari scrupulum unum.

M.

## N. LV.

*Pulvis antimonialis.*

R. Sulphuris aurati antimonii tertiae praecipi-  
     tationis granum unum,  
     Sacchari scrupulum unum.  
 Misce fiat pulvis.

## N. LVI.

*Decoctum jaceae.*

- R. Herbae jaceae, seu violae tricoloris, recentis manipulum unum.  
 Coque in lactis vaccini libra una.  
 Post brevem ebullitionem coletur.

## N. LVII.

*Hepar sulphuris calcareum.*

- R. Ostrearum,  
 Sulphuris , ana partes aequales,  
 Per strata committantur crucibulo , et per  
 horae quadrantem candefiant . Massa  
 refrigerata minutim contundatur , et  
 in vitro epistomio munito serve-  
 tur .

## N. LVIII.

*Linimentum saponaceum.*

℞. Olei tartari per deliquium,  
Olei amygdalarum recentis, ana partes  
aequales.

M.

*Finis Lib. IV.*

ERRATA in Lib. I. CORRIGE

Pag. Lin.

XVII	23. Aeginetta	Paulus Aeginetta
—	24. Paulus	— —

In Lib. IV.

23 24. parentum, jure, parentum jure,  
 25 23. testatur flavissimas testatur. Flavis.  
 simas

53	6. eenum	" censum
77	4. Phelis	Ephelis
87	18. aut licet	aut , licet
135	12. commitatur	comitatur
137	5. balneo : aut	balneo , aut
142	19. exulcerat quasi	exulcerat , quasi
146	17. venereus sit	venereus , sit
160	23. mucosam	mucosum
167	5. augustis	angustis
193	22. rationari	ratiocinari
198	25. posset	possit

